



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Patrocinium Defvntorvm**

**Hautin, Jacques**

**Leodii, M.DC.LXV.**

Piis Manibus opitulandum esse.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

# PATROCINIUM DEFVNCTORVM

A R. P.

IACOBO HAVTINO  
SOCIETATIS JESU  
TRIBVS LIBRIS PROPOSITVM.

## LIBER SECUNDVS.

*Piis manibus opitulandum esse.*

### PRÆFATIO.



ANc videlicet con-  
clusionem quadam  
necessitate trahunt,  
quæ hætenus de a-  
cerbissimis longissi-  
misque eorum cru-  
ciatibus à nobis dis-  
putata sunt. Et nos  
quidem eam ipsam  
subtexuimus singulis eorumdem exposi-  
tionibus, ne hîc eos retexere, & actum  
agere cogermur. Verùm alia sunt, nec

pauca, nec levia firmamenta causæ pio-  
rum manium, quam tractamus, quibus  
ad eandem opem mortalibus persuaden-  
dam inniti possumus: quæ animus est hoc  
altero libro statuere: Vos nobilissimi  
amantissimiqûe Genii, quibus eorum tu-  
tela commissa est, quoniam & vestram hîc  
causam ago, suggerite mihi, quæ ad fa-  
ciendam fidem apta censetis, atque ad  
permovendos animos, quod officii mei  
caput est, dictionem meam accendite. In-  
terea tamquam dicendorum hoc libro  
fundamentum proximè jacio.

## CAPVT PRIMVM.

*Posse à vivis pios manes sublevari.*

### ARTICULUS I.

*Patet illud ex sacro instrumento,  
& Sanctis Patribus.*



AM perspectum est ex factis  
paginis posse à viventibus  
opem ferri vitâ functis, qui lu-  
strali carcere attinentur, ut  
quemadmodum superius l. i. c. i. vidimus,

hæretici, Purgatorii infensissimi hostes,  
ipsimet sacris paginis fidem derogare co-  
gantur. Nam Machab. 2. c. 12. ex lauda-  
bili Judæ, supremi Judæorum Ducis, ac  
Sacerdotis factò ita concludit sacer Histo-  
ricus: *Sancta ergo, & salubris est cogita-  
tio pro defunctis exorare, ut à peccatis sol-  
vantur.* Quo ex loco id clarissimè con-  
sequitur, quod in presenti agimus, posse  
vivos defunctis opitulari. Alioqui enim  
nec *sanctum* esset (sed ut rectè idem Hi-  
storicus

S 2

storicus

storicus) *superfluum videretur*, & *vanum orare pro mortuis*: nec salubre, seu salutare id foret, quia esset incassum. Est autem hoc ipsum sanctum; quia pium in pios manes qui sic levantur, quia religiosum in Deum, cujus honori sic servitur; quia denique ipsum orantem efficit sanctum. Est item *salubre*, sive salutare tum defunctis, qui tormentis crepti æternâ salute impertiuntur: tum oranti, cui novi patroni & advocati in cælo quærentur, salusque in tuto collocatur, & gloria major paratur: tum orantis consanguineis, atque amicis, ad quos utique beneficiis cumulandos, gratissimus defunctorum animus sese extendet.

425.  
Resellitur  
objectio.

Cæterum huic Scripturæ loco clarissimo hostes animarum alterum opponunt planè obscurum, vel potius nihil planè ad rem propositam pertinentem. Est autem hic Eccl. cap. 9. *Viventes enim sciunt se esse mortuos: mortui autem nihil novērunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita est memoria eorum: amor quoque, & odium, & invidia simul perierunt, nec habent partem in hoc seculo, & in opere quod sub sole geritur. Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum. Quem locum obscurum dixi: quia S. Gregorius Thaumaturgus & Hieronymus ac Titelmannus censent Salomonem hic non suam, sed Epicuræorum sententiam tradere: hi quippe animam hominis simul cum corpore interire rati, propterea usurpant illa Itaiæ cap. 12. *comedamus, & bibamus: cras enim moriemur*. Alii contrà, sic enim explicant cum Bonaventurâ, ut velint animas separatas nihil eorum, quæ hac in vitâ aguntur, nosse, vel curate ad voluptatis sensum: hic enim illis perit. Quod confirmatur hisce verbis: *nec habent ultra mercedem*, scilicet propriam hujus vitæ in lucro ac voluptate sitam. Et id innuitur, dum additur: *vade ergo, comede panem tuum in lætitiâ*. Alii denique nomine hujus mercedis, metonymicè intelligunt meritum: quoniam cum extraviam positi sint, ejus planè sunt exortes. Ex quibus constar locum hunc, & perobscurum esse, atque ad eò clarissimo nequaquam opponendum, & ad rem propositam minimè pertinere: sed vel ad Epicuræos, vel, quod probabilius opinor, ad avaros coarguendos, qui quidem quasi à morte opibus usuri essent, sic eas coacervant; quibus Salomon ipse significat earum nullum in alterâ vitâ usum, aut fructum fore: atque ad eò nisi in hac partis gaudere velint, vanissimos labores suscipere.*

Porro divinis litteris haud dubiè consonant dictis ac scriptis suis Sancti Ecclesiæ Antistites. Atque imprimis (ut missa faciam Concilia, & multa, & gravissima) S. Jacobus frater Domini in sua Liturgiâ sic præcipit. *Pro omni animâ Christianâ afflicta, & vexata, misericordiâ & auxilii Dei indigente, & ut errantes revertantur, & redeant ad pietatem, ut infirmi convalescant, captivi liberentur, Patrêque ac fratres nostros, qui ante obierunt, in pace requiescant, Dominum oremus*. Et postmodum Sacerdos ex ejus institutione, sic precatur Deum: *Memento Domine Deus noster spirituum, & universæ carnis, quorum memoriam egimus, orthodoxorum, ac rectè de fide sentientium, ab Abel iusto usque ad hodiernum diem; fac eos requiescere in regione viventium, in regno tuo, in deliciis paradisi, in sinu Abrahæ, Isaac, & Jacob, Sanctorum Patrum nostrorum, unde exulat dolor, tristitia, & gemitus, ubi præsidet lumen vultus tui, & perpetuè refulget*. Dionysius quoque Areopagita lib. de Ecclesiasticâ Hierarchyâ, postquam cantum Christianorum funeribus adhiberi solitum, eorumque mortuorum in templum illationem, ritumque sepulturæ descripsit, sic ait. *Deinde accedens divinus Auctores, ipsi mortuo sanctè precatur, atque postprecationem, & ipse eum salutari, & ordine omnes, qui adsunt, precibus quidem à divinâ benignitate contendit, ut & omnia peccata, qua humanâ fragilitate, imbecillitateque admitta sunt ei, qui excessit à vitâ, remittat, & eum in lucem ac regionem vivorum, in sinu Abrahæ, Isaac, & Jacob deducat in locum, à quo fugit dolor, tristitia, & gemitus*. Quæ propè omnia hodieque usurpantur. Porro hæc ipsa se à divinis præceptoribus suis tradita accepisse postmodum testatur, atque ad eò ab Apostolis, quorum fuit discipulus. Quorum quoque auditor Clemens Romanus Epistolâ primâ, cujus Concilium Valente I. c. 6. meminit, inter cætera officia Christianæ pietatis annumerat, *Mortuo sepelire, & diligenter eorum exequias peragere, pro eisque orare, & elemosinas dare*. Hæc ille eo loco: qui etiam lib. 6. Constit. Apost. c. 3. ita disertè: *Sine ullâ exceptione, convenite in cæmeteria, inquit, sacros libros in eis legentes, & psallentes pro iis, qui dormierunt, Martyribus, atque omnibus sanctis, proque fratribus nostris, qui in domino obierunt*. Tertullianus etiam lib. de Monogamia, *pro animâ*, inquit *eius mariti, oret scilicet vidua, & refrigerium, interim adpostulet ei, & in primâ resurrectione*

426.  
Ex Sanctis  
Patribus.

Etiam

tionem consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Origenes porrò lib. 3. in Job sic habet. *Celebramus nimirum religiosos cum sacerdotibus convocantes, fideles una cum Clero invitantes adhuc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas saturantes: ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctorum animabus, quarum memoriam celebramus: nobis autem efficiatur in odorem suavitatis in conspectu aeterni Dei.* Hactenus ipse.

427. *Quod si in ore duorum, vel trium fiet omne verbum ipso Christo auctore, en habetur saltem fide humana credendum.* Imo & divina. *Verum cur humana fide contenti sumus, cum huiusmodi auctoritates exigant divinam? Enimvero liquidò ostendunt illum orandi pro mortuis ritum ab ipso Christo fluxisse, atque adeò veritate ipsà teste Christianorum precibus, pias defunctorum animas sublevandi vim inesse. Id quod etiam manifestius evadet, ex eiusdem doctrinæ per omnes ætates ad nostra usque tempora perpetuitate. Etenim prope octoginta seu Patres, seu viros gravissimos huius fidei auctores, ac Doctores recenset Joannes Gareus in eo libro quem integrum ex eiusmodi testimoniis contexit. Ex quibus visum est nonnulla deinceps decerpere. Cyprianus quidem l. i. Epist. 9. ubi pronuntiavit non licere Presbytero, aut Clerico tutorem agere, aut curatorem: ita disserit. *Quod Episcopi antecessores nostri religiose considerantes, & salubriter providentes, consueverunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur**

pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros suos Levitas avocare voluit. Athanasius verò cum sic interrogavit lib. de variis quaestionibus q. 34. num sentiunt aliqua beneficia peccatorum anima, cum super illis fiunt conventus, & preces bonorum operum, & oblationum? ita respondet: *Si non aliquo beneficio participarent ex illo: non utique in curâ, & exequiis fieret commemoratio.* Basilius autem in sua Liturgia ita Sacerdotem precari jubet, *Memento Deus omnium dormientium in spe resurrectionis vita aeternæ, & refrigera eos, ubi visitat lux vultus tui.* Et Basilii frater Gregorius Nyssenus luculentissime, nihil, ait, *absque ratione, & utilitate à prædicatoribus, & discipulis Christi traditum, & in omnibus Ecclesiis Dei prædicatum. Res autem omnibus modis utilis, & Deo imprimis grata, in divinis, præclarisque sacris operationibus, eorum, qui in rectâ fide decesserunt, manifestam facere mentionem.* Denique Nysseno planè consonat Augustinus l. 2. de curâ pro mortuis cap. 1. ubi sic disertè. *In Machabaorum, inquit, libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotum, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Ita ipse eximie. Præterea ceteros consequentium ætatum, cum eorum testimoniis nihil sit luculentius.

Cum igitur mortales piis manibus opitulari posse Dionysio auctore Apostoli tradiderint, quin & ipse frater Domini Jacobus illud edoceat; cum Nysseno teste in omnibus Ecclesiis prædicetur, & Augustino, *universa teneat Dei Ecclesia*, cumque semper deinceps tenuerit; ambigi nequit, quin fide divinâ credendum sit ipsum in pios manes subsidium, & proinde à Deo ipso assertum. Ex quo patet imprimis hæreticorum perfidia, & immanis in eos crudelitas. Certè enim eò major est, quàm Israëlitarum in filios suos (quos in honorem Moloch per ignem traduentes, mactabant) quò Purgatoria flamma illo igne atrocior, & diuturnior. Et sanè sarius foret defunctis partidali manu occubuisse, quàm à parentibus impediri eorum in tam tristi rogo subsidium.

Sed & hinc Catholici habent, quod hinc condiscant. Nam quò exploratius est posse defunctos adjuvari, eò nostra in illos

429. *Atque adeò patet crudelitas hæreticorum in filios.*

430. *Et necessitas opis mortuis ferenda.*

illos misericordia luculentior sit, necesse est. fac enim agere matrem quampiam obsecraturam primùm famam inaudire filium, quem decessisse persuasum habebat, adhuc vivere, sed extorrem & afflictum: commovebitur illa quidem ad illud nuncii: sed ejus incertitudo, studium opis illi ferendæ non parum remittet. Quod si exilii locus, calamitatis genus, & subsidii facultas certò, atque ab Angelo quidem illi renunciatur, tum verò continuò, continenterque, maternam ardentique curam incumbet in filii subsidium, nec nisi re peracta conquietet. Nos igitur quomodo torpemus? Et qui sit, quæso, ut filios & Parentes certè, quidem in Christo fratres ac sorores certò ardentes negligamus?

437.  
Abrahami  
exemplo.

Quid? Abrahamus ille, misericors credentium Pater, quamdiu credidit indignissimos licet omni ope Sodomitas posse à se adjuvari, quam sedulo constanterque clementiam divinam iis imploravit! quam humiliter pœnam commertam ab iis deprecatus est! *Si fuerint*, inquit, *quingenta iusti in civitate, peribunt simul? minime*, Respondit Angelus. *Rursum locutus est ad eum; sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? non percutiam* reponit Angelus. Tum ipse *Quia semel*, ait, *cæpi, loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inventi fuerint viginti? non interficiam* subjecit Angelus. Quid tum Abrahamus? perget? imo pergit. *Obsecro*, ait, *ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel. Quid si inventi fuerint ibi decem?* & dixit Angelus *non delebo propter decem; abiitque Dominus postquam cessavit loqui ad Abraham & ille reversus est in locum suum.* Gen. 18. Ecce ad avertendam à reoram, & quidem alienorum, capitibus cælestem pœnam, & externus, & avertendi dubius tertio, quartò, quinto Angelo vindici supplex accidit, & mortales certi illam à suis manibus avertere, si operam in id dare velint, ut minimùm cunctantur. Ah! Christiani, meliores Abrahamæ filii: quæso vos, obsecrorque, ne in parentes, filiosque vestros, vobis Deoque carissimos, minus pii sitis, quam pater ille vester in invisos cælo, hominibusque Sodomitas extiterit.

## ARTICULUS II.

*Idem ratione, & historiis comprobatur.*

PARS PRIMA.

*Probatur ratione.*

VNICA est hæc ratio, sed bipartita. 432. Demonstrandum enim est primùm *Posse justos inter se juvare*, ac pro se *inter se juvare*. mutuo satisfacere. Deinde posse & vitam functos eorum opem experiri. Quod igitur ad primùm atinet, illud evincit *Sanctorum communio*, quam in Apostolorum symbolo profitemur. Significat namque bonorum spiritualium aliquam inter Sanctos, sive justos, communicationem, atque adeò posse alterum ab altero in rebus ad salutem pertinentibus adjuvari. Et verò cum charitas divina in unum Christi corpus mysticum nos jungat, conficitur singulos eam præditos viva esse ejusdem corporis membra, ut sæpenumero inculcat Apostolus, nimirum ad Romanos 12. & ad Ephes. 4. Nemo autem nescit membra ejusdem corporis mutuis officiis sibi adesse; quippe oculum cætera dirigere, pedes sustinere, ac provehere, manus propugnare; & si quid unum patitur, dolorem cæteris esse communem. Igitur & pari ratione viva corporis Christi seu Ecclesiæ membra, mutuum opem sibi conferre poterunt. Et illud est, quod Jacobus Epist. c. 5. planissimè agnoscit, cum fideles adhortans, *orate*, ait, *pro invicem, ut salvemini.* Illud quod Joannes Epist. 1. cap. 5. *qui scit*, ait, *fratrem suum peccare, & non ad mortem, oret, & dabitur ei vita.* Item quod Gentium Apostolus ad Rom. 15. *Obsecro vos*, ait, *fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Nec potest alia esse SS. Patrum sententia. Quare Chrysostomus disertissimè, ac plenissimè Hom. 41. in 1. ad Cor. sic disserit, *unum corpus omnes sumus; sint membra licet alia aliis illustriora. Unde licet veniam iis impetrare precibus pro ipsis effusus, muneribus datis, consortio eorum, inter quos velut commune corpus referuntur.*

Audis Deum propter bonorum confortium aliis gratificari. Discè id ex Gen. 433. *Exemplis* necis c. 30. ubi propter Jacobi apud Laban *probatur.* commorationem, Deus ipsum Laban benedictione suâ, sive gratiâ, ac beneficiis cumulavit. Discè clariùs ex ejusdem Genesis. c. 18.

fis c. 18. ubi propter decem homines justos, Deus paratum se asserit quinque civitatibus Pentapoleos ignoscere. Quin etiam ob Davidis parentis jam vitâ functi pietatem, ac fidem, idem Opt. Maximus, degeneri & impio ejus filio Salomoni pepercit. 3. Reg. 11. Quid? quod Lucæ 5. ob fidem hominum paralyticum portantium Christus ei sanitatem restituit. Nam de virtute precum nihil habeo dicere, cum & divinæ paginæ, & sacræ historiæ ejus exemplis & testimoniis refertæ sint. Quod si autem Labano, Salomoni, aliisque hostibus suis ob amicorum merita Deus beneficia contulit, quis non videt eum multò propensius filiis suis pœnam aliquam noxis jam donatis debiram condonaturum, ob aliorum filiorum preces, & voluntarios cruciatus?

434.  
Et juvare  
defunctos.

Hoc igitur constituto eam bonorum, & satisfactionis communicationem ad pios quoque manes porrigi ostendendum est. Patet autem illud ex iis, quæ proximè diximus. Siquidem, & hi Sancti ac justifunt; est igitur vivos inter & illos, bonorum spiritualium communio. Pertinent quoque ad Mysticum Ecclesiæ corpus, quippe ejus sunt membra cæteris charitate copulata. Cùm enim in charitate decesserint: ea verò Apostolo teste 1. Cor. 13. numquam excidat, conficitur eodem vinculo, quo viventes cæteris conjuncti erant, mortuos copulari. Quare Augustinus lib. 20. de Civit. c. 9. *Neque piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesiâ Dei, quæ etiam nunc est regnum Dei. Alioquin nec ad altare fieret eorum memoria.* Et post paulò. *Cur enim ista fiunt, nisi quia fideles, etiam defuncti eius membra sunt?* Quin etiam Divus Thomas 3. p. q. 71. a. 1. ad 2. asserit disertè *magis acceptari suffragium pro mortuo, quàm pro vivo, quia magis indiget, cùm sibi auxiliari non possit, sicut vivus potest.*

PARS SECUNDA.

*Probatur ex historiis.*

435.  
Spiritus  
subinde ap-  
parent.

**A**TQUE hoc auxilii genus plurimis veteribus historiis & ostentis testatissimum est, quæ quia toto hoc opere sparsa sunt, non est mihi consilium hîc attere. Id tantùm agam generatim, ut fidem illis saltem à plerisque obtineam, imò etiam ab iis qui ejusmodi ostenta fabularum loco habent, atque ut muliercularum somnia solent explodere. Ac spiritus quidem humanos identidem apparere sacri Codices atque historiæ clariùs demon-

strant, quàm ut à nobis probandum sit. Quid igitur obstat, quin etiam purgandi? Num carcer? At Dei beneficio tantisper ex eo secedere, vel apud mortales captivi esse possunt, ut facilius eorum preces impetrent, aliaque ejusdem Numinis nutu perficiant. An verò non licet supremo Judici quod humano, ut reos carcere emittat quando, & quamdiu libet? An non hodieque in Cochincino, Indiæ Orientalis regno, rei scalis alligati vagari consuevere? Præterea manes subinde inter nos agere, aut saltem aliquando apparere, plurimi gravissimi que authores produnt. Quis enim nescit Gregorium Magnum de Paschasio Ecclesiæ Romanæ Diacono, itemque de Justo cœnobii sui monacho ejusmodi visâ commemorare? Quis Gregorium Turonensem de S. Vitalinâ, B. Martino spectandam se præbente, S. Bernardum de sorore S. Malachiæ ejusdem precibus sese ab obitu commendante, Bedam V. aliosque viros gravissimos, alia de aliis narrare non intellexit?

436.  
Constat  
authoritatè  
re.

An verò quisquam erit, vel tam hebes, ut eorum autoritate non moveatur, vel tam improbus ac nefarius, ut mendacium iis affingat? Sed cur in ejusmodi historiis referendis mendacium adhibuissent, cùm eo tempore nulla de Purgatorii rebus quæstio cum hæreticis esset, nulla populi Christiani dubitatio? Verùm quomodo intelligi potest, aut credi homines sanctissimos mendacis historiis publicas ornare, aut potius coinquinare voluisse, cùm ne peccati quidem umbram in omni vitæ suæ ratione ferrent? Sed si perfidè ponis eos mentitos: Quem ego te, aut quo loco inter homines ponam? Quo loco Historicos paganos? quo hæreticos? An erit præterea, qui dignus sit ut ipsius sermonibus fides habeatur; cùm viri sanctissimi doctissimi que scriptis suis, ac rerum sacrarum historiis, ubi fallere, aut imprudenter falli grande nefas est, eam non mercantur? Per te igitur explodatur licet Sallustius, Livius proteratur, Tacitus conculcetur, Curtius in Græciam ac Pefidem, unde fabulas suas mutuatus est, deportetur. Nam si viri sincerissimi ac fidelissimi fide indigni sunt, dum sacras historias scribunt, an digni erunt homines Ethnici, & ut plurimum parum probi, dum edunt profanos? Quid ergo de Græcis dices? Græcâ utique fide usos fuisse. Quid de Gallis, Hispanis, Germanis, Belgis? Pari profectò jure omnibus eorum historiis infaustam mendacii ac condemnationis notam inuras, necesse est.

437.  
Et experi-  
tot sacru-  
entia.

Verùm saltem crede veteri experientia

tot sæculorum, tot regionum, tot gentium, quibus indubitatum est pios manes videndos sese exhibuisse, preces ac suffragia petiisse, solatium ex iis singulare sensitisse: crede & quotidianæ: nec enim adeo multum temporis effluxit, ex quo Berghis S. Winoci, urbe Flandriæ, spiritus quidam avunculi, nepoti suo per noctem spectabilis, petiit ab eo ad levandas suas Purgatorii pœnas, ut postridie tribus pauperibus ante meridiem stipem flagitaturis largiretur, unamque missam fieri sua causâ curaret. Venere tres illi præter morem (soliti enim erant à meridie stipem illic rogare) datâque stipe, & Missâ in itâ comparuit spiritus; ipseque nepos, & Sacerdos miro velut pondere se premi, quamdiu fiebat, persenserunt. Quâ peractâ spiritus ille apprehendens juvenis dexteram, *gratias tibi, ait, mi suavissime nepos; absque illa Missâ fuisset, tres adhuc annos* (sex autem ab illius obitu præterierant) *in Purgatorio carcere me miserum hærere oportuisset.* Tum rectâ ad aræ supremum, indeque in cœlum subvolare conspectus est. Scio equidem non cuilibet, nec faciliè credendum spiritui, utcumque cernatur; aut cerni videatur. Inspicienda etiam haud dubiè homini, qui visâ refert, persona, ejusque mo-

res ac probitas, ingenium, judicium, insoles, sunt expendenda. Causa quoque referendi exploranda est. Constat profectò humorem melancholicum multam præbere materiam fingendis rerum ac spirituum idolis ac imaginibus. Constat fraudem intervenire posse, sive à malo genio, quem compertum est aliquando amulati bonum; sive ab homine, qui nummos, aut nescio quem gloriæ fumum his artibus capter. sed tamen nemo unus est, qui, si ratione utatur, non existimet præter fas ac rationem facturum, si quis ne unum quidem ex ejusmodi ostentis, non vanum & inane esse mordicus teneat. Unum igitur admittat ubi aliquis è piis manibus opem postulet, ac tum se accepisse, ac sensitisse verè fateatur: mihi sanè fuerit satis, continuò namque efficitur quod à me agitur, mortales piis manibus opitulari posse. Et cum plurium ejusmodi visorum eadem sit ratio, neque appareat, cur hoc potiùs quàm illud in dubium revocetur, convincitur primùm, admissò unum cum veritate congruere, plurima quoque admittenda esse. Tum & illud quod hîc contendimus, sine dubitatione concedendum ex historiis, atque ostentis parère, pios manes ope mortalium sublevari posse.

## CAPVT SECVNDVM.

*Ad opitulandum piis manibus multiplici lege tenemur.*



UM ex proximè præcedentibus appareat piis manibus à nobis opem faciliè ferri posse, statim occurrit etiam debere, nam multa simul se ostendunt lumina quibus hæc obligatio elucescat, quæ hoc capite exponere decrevi. Splendet autem inter ea maximè lex naturæ quippe homini insita, non foris petita, imo, & in nobis ipsis, licèt nobis repugnantibus seipsam prodens, ac promulgans, & propterea exigit ut omnium prima proponatur.

### ARTICULUS I.

*Lex naturæ pios manes adjuvari præcipit.*

#### PARS PRIMA.

*Ostenditur.*

LEX naturæ est, quæ naturæ rationis compoti, ac procreata, ad honestatem scilicet insita est, ex qua necessario consequitur turpitudinis ac malitiæ fuga. Atque illius sic sumptæ præceptum unicuique quidem est univèrsale, nimirum bonum

438.

Lex natu-

ra.

num

num amplectendum esse; malum fugiendum: sed plura sunt magis particularia, quæ ad illud reducuntur. Talia principia morum generalia, ut; quod tibi vis fieri, nempe consentaneè rationi, alteri faciendum; quod nolis, minimè: suum cuique reddendum, & hujusmodi.

439.  
Obligat.

Porro legem naturæ obligare perspectum est: siquidem quod ei adversatur, rationi adversetur, necesse est, cum id quod natura rationis compos per se propendet, consentaneum rationi esse oporteat; Porro quod rationi contrarium est, omnino peccatum est. Adde quæ cum lege naturæ pugnant, per se, & ex naturâ suâ esse mala, ut licet omnis alia lex ea prohibens abesset, imò si per impossibile nullus esset, Deus, esse mala minimè desinerent.

440.  
Ex caritate  
nativa.

Atqui eadem lex opem piis manibus ferendam præcipit. Etenim clarissimè id continetur illo, quod attulimus, principio affirmativo, cujusque menti insito: quod tibi vis fieri, alteri feceris: cui ex adverso negativum respondet: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Perspectum enim est quemlibet, si lustralibus suppliciis cruciaretur, summopere desideratum mortalium ope iis eripi, gravissimè laturum non eripi. Ut autem hujus naturæ legis obligatio luculentius exponatur, Adverte utrumque illud principium hoc unico charitatis naturalis præcepto contineri: *diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hæc autem charitas omnium Theologorum consensu exigit, ut dum commodè licet, proximo in miseria jacenti suppetias feras. Illud enim est, quod Eccle. 17. *Unicuique mandavit Deus de proximo suo.* Vel igitur negandum tibi est pios manes in proximis numerari, vel in miseriâ versari. Prius nefas est: cum, ut dicemus, proximi nomine ii omnes intelligantur, qui gloriæ caelestis possunt nobiscum esse confortes, Posterius æquè impium est: & præterea certa est commoditas piis manibus opitulandi: igitur lege charitatis ad hoc obligamur, ac proinde & lege naturæ.

441.  
Ex ratione  
membrorum  
ejusdem  
corporis  
ejusdem  
communi-  
tatis.

Porro hæc obligatio magis etiam se prodat ex naturali defunctorum nobilium communiōne, & quadam cognatione. Ut enim rectè Seneca Epist. 95. *Membra sumus corporis magni. Naturam nos cognatos edidit cum de iisdem gigneret.* Et Augustinus Epist. 52. *Si pecunia ratio socios facit: quanto magis ratio natura? non negotiandi, sed nascendi lex communis.* Cum igitur, & piis manibus ea membri ratio, & id genus cognationis conveniat, dubitari nequit, quin & iis officia membrorum, & cognatorum mortalium debeantur, Porro

membra sese invicem juvant, & alterum pro altero patitur, & cognati sibi mutuo adesse debent; igitur & mortales quibusvis vitâ functis opulari. Quid? quod injuriam ipsi hominum genti facit, qui negligit illos. Si enim, ut optimè Ambrosius lib. 3. offic. c. 3. *in uno membro totum corpus violatur, uti in uno homine communiō totius humanitatis solvitur*, profecto & neglecto desertoque vel unico defuncto utrumque illud contingere necesse est. Et si Seneca auctore lib. 2. de ira c. 31. *Nefas est nocere patriam, ergo & civi, qui est pars patriæ, ergo & hominem homini, nam hic in magnâ urbe tibi civis est*, his consentaneè concludere licet, & nefas esse destituere defunctos in tantâ calamitate, quia & illi hujus universitatis cives sunt, & eos destituens pars resti nocenti. Certè ut contra rationem membri, cognati, ac focii peccaret, imò & contra universum genus humanum, qui hominem cum facili prece redimere ex infaustâ servitute posset; tamen reculeret: sic & is peccat, qui pios manes ne precibus quidem, aut modicâ stipe afferere in libertatem studet.

Denique eandem obligationem confirmat omnium gentium mentibus ingeniata persuasio, demortuis justa esse reddenda. Ideo enim justa vocantur, quod jure quodam naturæ iis debeantur: neque verò ad solùm eorum honorem ea spectare prisca autumabant: sed & ad aliquod solatium, auxiliumque. Ac Judæi quidem Josepho teste de bello Judaico c. 19. (huic enim historico hæretici majorem, quàm sacris Machabæorum libris, fidem habebunt) Judæi, inquam, pro mortuis orare consueverunt. Et verò cur David, ejusque exercitus auditâ Saulis & Jonathæ morte, jejunos permansit, nisi ut eâ inediâ eorum manibus, si qua indigerent, ope adesset? Et constat Mahumetanos similia officia defunctis suis exhibere. Nam Ratzivilus in suâ peregrinatione Jerosolymitanâ Epist. 2. eam eorum fidem apertè intellexit, dum conspecto quinque aviculas virides ex cavèa liberas dimitti, audiit id factum, ut animis cognatorum dimittendis benè ac beatè esset. Et eadem fides plagas Ethnicorum ad fines usque novi orbis pervagata est. Nam Tunkinensibus in more positum est, primùm vehementer laborare, ut locum suorum sepulturæ idoneum inveniant. Deinde nullis sumptibus parcere, ut convivia illis struant etiam anniversariis mortis diebus, idque omnibus majoribus ad decimam usque generationem. Tum vestes illis ex papyro confuere, & ac deinde exurere, eo consilio, ut defun-

442.

Ex omnium  
gentium  
consensu.

Etos iis tegant: quibus, & similibus ritibus familiae suae bonum ac salutem niti arbitrantur. Porro ejusmodi instituta etiam apud Cochinchinenses celeberrima sunt, haustaque à Sinensibus, quorum & Tunchini, & Cochinchinae regna, pars olim fuere, & nunc clientelam quotannis profitentur. De Sinensibus autem agens noster Trigautius l. i. c. 9. Inter alia multa, de funebribus eorum ceremoniis, solemne quoque illis est, ait, & ab idolorum sacrificiis inductum, papyrus in certum modum concinnatam, imo etiam sericos pannos albi coloris exurere. Quid faciunt arbitranter se vita functis vestem ministrare in benevolentia observantiaque testimonium. Inviolabili quoque consuetudine receptum est, ut luctus patris ac matris in triennium protrahatur. Cuius rei causam in suis libris hanc reddunt, ut suis parentibus, qui primo aetatis triennio eos ulnis gestaverunt, vicem rependant. Non raro filii parentum cadavera feretro inclusa ad res quatuorve annos domi asservant. Suo enim pellucido bitumine ita rimas omnes ocludunt, ut factorem minime transmittant. Quo tempore in singulos dies cibum illis, potumque offerunt, non secus ac si viverent. Deinde in humili scabello, non in sedilibus consuetis confident. Somnum non in lecticis, sed in stramineis culcitris supra nudam humum collocatis iuxta sarcophagum capiunt. Carne autem, aliove edulio condito vesci nefas. Nec vini, aut balnearum usus; imo nec liberis dant operam. Plura apud eundem Trigautium vide.

443.  
Et Assensu  
Theologo-  
rum.

Ac denique concludere, cum ratio nativa ex generalissimis naturae principiiis expressa, & gentium more confirmata necessitatem subsidii defunctis exhibendi demonstraret, eum qui aliter sentiat, naturae refragari. Adde, Theologiae universae, quoniam cum Theologi omnes Catholici, nomine proximi, qui naturae lege diligebetur, intelligant omnes beatitudinis capaces, nemoque unus pius manes ex eo numero excludat, aut excludere possit, profecto Theologi omnes eos naturae lege diligendos docent, & cum dilectio in eisdem non nisi subsidio exhiberi possit, omnes pariter docent subsidium illis ferendum esse.

#### PARS SECUNDA.

Occurritur obiectioni, & concluditur.

444.  
Obiectis.

VERUMTAMEN emerit nuper unus aliquis ex eis, Joannes Sancius, novamque doctrinam, nescio unde, orbi in-

vexit, ne filios quidem parentibus vitâ functis quidquam subsidii debere. De quo quidem argumento post erit propriè agendum. Sed quoniam ejus rationes omnes promiscuè defunctos omni ope fraudari sine noxâ posse contendunt, iis jam occurrendum censui. Sic igitur ipse in Selectis, Disp. 4. n. 6. Dicentne aliquis teneri me, quamvis divitem, largiri centum, aut minus ducatorum eleemosynam ob liberandum damnatum ad suspendium ob eius mala facinora, aut ad irivemes? Quem Respublica non tenetur liberare, imo punire; tenebor ego? Absit, iustè patitur, iustam verò mortem proximi impedire nullatenus teneor, quod expressè docet Malderus de virtutibus tract. 3. c. 1. Dub. 15. fol. 35. Navar in c. non inferenda 23. q. 3. n. 24. Sa, verbo charitas n. 6. Sic licet pater meus in Purgatorio detineatur, & possim illum precibus meis, aut eleemosynis iuvare, ad id nequaquam ex præcepto tenebor, cum iustè ibi patiatur. Ita ipse, qui post addit, Neque si parens defunctus filio apprensus subsidium ab eo peteret, filium ad illud obligandum, licet, ait, impietissimum esse non iuvare; quod quomodo intelligat, non capio. Nam si maximè impium sit, nonne manifestò pugnat contra pietatem in parentes, quæ virtus haud dubiè ad culpam ligat?

Tota igitur vis illius auctoris in eo sita est, quòd defuncti iustè patiantur, vivos ad iis opitulandum non obligari. At vide illius argumenti vanitatem. Sic enim rectè concludero proximum quemcumque extremâ necessitate seu corporis, seu animæ pressum, posse sine noxâ derelinqui, quoniam utramque iustè patitur, scilicet à Deo iustè infligente, vel ob proprias noxas, vel ob alium aliquem finem; qui sanè cum Dei sit, non potest non esse iustissimus. Ne qua verò tergiversandi ansa sit, pone Deum tibi certò indicare, proximo tuo, vel gravissimum morbum immitteri, vel gratiam subtrahi, in pœnam certi peccati, puta purjuri: atque adeò illum versari in periculo mortis, vel corporis, vel animæ: nonne eâ quoque hypothesi, obstrictum te credes ad illum eo periculo vindicandum? Arbitror sanè. Ergo quòd iustè proximus patitur, quòd purgandæ animæ in pœnam suorum criminum crucientur, non propterea liberaris obligatione eis opitulandi. Verùm enim verò Navarrus, Sa, Malderus, docent damnatum iustè ad mortem, posse non redimi, etsi pecuniâ posses redimere: nec enim ad hoc charitatem obligare. Sed respondeo primò lytrum istiusmodi grave esse solere; charitatem

445.

Responde-  
tur.

charitatem autem non esse solitam obligare ad opem cum gravi incommodo ferendam. At demus minimo pretio, demus precibus posse illum redimi quemadmodum pios manes lustralibus pœnis redimi posse compertum est. Etiam hoc dato nihil evinces.

446.  
Disparitas  
inter reos  
hujus vitæ,  
& defun-  
ctos.

Ratio enim, cur hominem ad mortem damnatum redimere non teneat, hæc est, quod nec ipse quidem, etsi possit, redimere se teneatur, cum illi liceat justæ Judicis sententiæ se conformare. Charitas autem non me obligat, ut proximo præstem, quod ipse sibi ex charitate præstare noni tenetur. At pii manes cum sint in termino, quantum in ipsis est, quam citissime possunt, ad finem suum tendere debent, atque adeo Purgatorio egredi. Atque obligatio hæc est charitatis, tum in Deum, ut eius gloriam magis augeant, tum in seipsos, ut beatitudine quamprimum fruantur. Nec verò potest illis videri tam bonum satisfacere velle Justitiæ divinæ per sese, quam vivorum precibus liberatos Deo potiri, eiusque gloriæ per actus amoris patriæ multò excellentius servire. At reis capitis ut plurimum satius est, ac fere conducibilius Reipublicæ, morte luere criminum pœnas, & justitiæ humanæ per se mortemque suam satisfacere, quam se redimere, aut ab aliis redimi: quo fit, ut charitas ad eos redimendos non impellat. Quod si poneres præstare illis, ac Reipublicæ se redimere, ac vivere, idque illos nosse, & ipsi ad redimendam vitam, si possent, obligarentur, & alii si sine gravi incommodo illis liceret, eadem charitatis lege tenerentur. Et hac ratione tenet Coninck, *Si lyrum quod exigitur ad redemptionem captivorum alioqui necandorum, sit exiguum, ab iis qui non incommodè possunt, solvendum esse. Præsertim, quando inde non imminet periculum, ne hostes ea occasione plures, ac sapius pauperes capiant, & hoc modo cives opibus suis spolient. Hinc Imperator Mauritius, quod ab Avarum Rege exiguo valde lytro, quatuor scilicet siliquis, quibus singulos redimendos offerebat, captivos redimere noluit, graviter à Deo punitus est, ut refert Baronius ad Annum Christi. 560.* Hæc ipse Coninck ad verbum de Eleëmof. Dub. 8. n. 144.

447.  
Exhortatio  
ad eam legem  
obser-  
vandam.

Constet itaque naturæ lege vivos obstringi, suppetias ferre vitæ functis. Et cum, ut ostendimus, Turcæ, ac Gentiles ipsi eam legem studiosè observent, constet Christianos officii sui hoc in genere immemores, Turcis ac Gentilibus eatenus deteriores esse. Accedit Porro ad hæc, quod etiam in inimicos amor noster natu-

ræ lege ferri debet, cum & ipsi nobis proximi sint per naturæ humanæ communio- nem, & repræsentationem SS. Trinitatis. Ex quibus efficitur longè nos magis obligari ex caritate ad subsidium piorum manium, qui nobis sunt amicissimi. Quocirca si sensum aliquem humanitatis, si naturæ legis retinere velimus, parendam est huic animas defunctorum juvandi necessitati. Imò quia non homines dumtaxat, sed homines Christiani sumus, amplectenda nobis illa necessitas est, & quod præcipit, non necessitate, sed prolixissimâ voluntate est exequendum.

## ARTICULUS II.

### *Ad opitulandum defunctis caritas Supernaturalis nos obligat.*

#### P R Æ F A T I O.

NON nescio neglectum vel chari- 448.  
tatis, vel misericordiæ vel etiam Non suc-  
pietatis in pios manes, si alia obligatio- currere de-  
nis capita subducas, venialis tantum cul- functis  
pæ arguendum esse. Primùm enim et- communi-  
si eorum necessitas in tantis tormentis ter est tan-  
gravissima dici possit, ac debeat, tamen tum venia-  
semper alii adsunt, qui eam levent, at- le.  
que adeo qui te excusent saltem à gra-  
viore noxâ, si cum possis commodè, non  
eos juves: & verò Ecclesia communiter  
pro omnibus preces ac sacrificium Numi-  
ni offerre solita est. Deinde nostra in nos  
inclementia, infligendos nobis olim cru-  
ciatus non prævertentium, gravis culpæ  
damnari non potest. Adhæc hebetudo  
mentis humanæ, & caligo quædam igno-  
rantia purgantium tormentorum, negle-  
ctum istius subsidii magno crimini verti  
non sinunt. Denique nec sacri Codices,  
nec sacrosancta Concilia, nec Ecclesiæ  
Patres eundem gravioris culpæ damna-  
runt. Quamobrem si deinceps inclemen-  
tiam illam gravius infecter, usque eò ut ex  
argumentis, ac similibus mortiferum cri-  
men argui posse videatur; orationem  
meam sic accipi velim, ut Sanctorum Pa-  
trum, ac Concionatorum dicta, sano nimi-  
rum ac commodo sensu: non autem theo-  
logicâ lance ponderari. Constat enim vix,  
aut ne vix quidè ullos oratores sacros in ju-  
diciu non rapiendos, si quæ in amplifica-  
tionibus suis, atque exhortationibus libe-  
rè apteque ad movendos animos profe-  
runt, theologica trutinâ expendi velis.

## §. 1.

## Prior obligationis causa.

## PARS PRIMA.

## Statuitur.

449. *Præceptum caritatis erga proximum.* Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret Jo. 3. Sic filius unigenitus eundem amavit, ut ejus causâ vitam profunderet. & Spiritum Sanctum illi donaret. Sic Spiritus Sanctus adamavit, ut cum deesset persona divina, quàm illi largiretur, caritas Dei diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Sic denique tota Sanctissima Trinitas illum cordi habuit, ut singulis hominibus caritatem mutuam præceperit, ut non modò ipsa per sese, sed & per omnes amorem omnibus exhiberet. Et præceptum illud quidem per Moysen primùm promulgatum est in hanc sententiam. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis, proximum autem sicut reipsum.*

450. *A Christo etiam promulgatum.* Sed cum Numini primis in votis esset, ut studiosissimè servaretur, ipsa Numinis Sapiencia instaurare illud, ac per se denuo promulgare voluit. verba legis sunt. Jo. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, & aliàs idque etiam sub vitæ finem idem ejusdem Jo. c. 15. inculcans: Hoc est, ait, præceptum meum, ut diligatis invicem, & iterum, hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Nimirum triplex hæc repetitio vehementiam indicat desiderii quo fertur ad legem stabilendam, ejusque obtinendam observationem. Deinde mandatum hoc novum appellat, quod in veteri lege proximum sicut nos ipsos amare juberemur, Christus autem velit illum à nobis amari sicut dilexit nos, quos certè dici potest plus dilexisse, quàm seipsum.

451. *Ratione probatur.* Cæterum quòd ipse hoc in genere præcepit, ratio etiam exigit, & velut imperat. Nam cum Deum charitate supernaturali amare teneamur, etiam proximum amemus, necesse est. Siquidem & Dei filius, & eximia quædam participatio est, quatenus donis ipsius supra naturam evectus, atque ad cælestem beatitudinem destinatus, in qua beatitudine, summa Numinis gloria posita est, adeò ut proximum diligere sit Dei gloriam velle, ac proinde Deum amare.

452. *Præcepti* Porro eatenus differt hoc præceptum à præcepto caritatis in proximum natura-

lis, quatenus altera caritas ab alterâ differt. *caritatis super naturalis diff. ferentia à præcepto naturali.* Nam quæ naturæ insita est, tendit in proximum, ut divinitatis imago naturalis est, five propter libertatem, ut è Patribus non pauci volunt, five propter triplicem in unâ animâ facultatem, adque adeò unius essentia divinx in tribus personis repræsentationem. Quæ autem supra naturam sita est charitas in eundem tendit, ut Numinis imago est supernaturali: Quippe prout refert per gratiam, esse divinum, cujus hæc nos confortes facit; per fidem, divinam Sapienciam; per spem, divinam bonitatem, quæ spei basis, & quidam oculus est; denique per caritatem, amorem itidem divinum. Deinde caritate naturali proximum prosequimur, quatenus capax est beatitudinis naturalis, five naturæ accommodatæ: supernaturali verò, quatenus Deo frui potest, modo naturæ vires longè fugiente, fito in beatificâ visione, cui perfectiones divinx obversantur, quàm nullam habent cum naturâ connexionem, nec naturæ viribus possunt participari. Itaque præcepto caritatis naturalis jubemur velle proximo bona, beatitudinemque naturalem; supernaturalem autem, supernaturalem: illam ut Numinis mancipio; hanc, ut filio, & heredi.

453. *Et gravitas major.* Ex quibus metiri licet præcepti, de quo agimus, gravitatem, præ gravitate præcepti naturalis. Nam quò res præcepta excellentior graviorque est, eò lex gravius obligare nata est. Ac proinde ambigi nequit, quin vehementiùs impelli nos par sit ad amorem proximi supernaturalem, atque ad procurandam illi beatitudinem divinam ac cælestem, quàm lege naturæ ad naturalem. Et sanè ægtiùs fert Dominus infringi mandatum, quo filiis obsequii quidpiam exhiberi volebat, quàm quo mancipii curam aliquam adhiberi. Quæ quidem eò perfectiora sunt, quò clarior ex caritate supernaturali redundat in Deum gloria, quàm ex naturali: Etenim ejus gloriæ jactura, quæ violatione supernaturalis caritatis continetur, crimen illius exaggeret, necesse est: quemadmodum contumeliam aggravat honoris, qui per eam perit, pretium ac præstantia.

454. *Obligat ad pios manes salvandos.* Atque ex his plus nimio seprodit obligatio subsidii in defunctos. Ut enim non iteremus illos *proximi* nomine comprehendendi: Christus in hac lege ferendâ, vel ut Legislator spectari potest, velut Pater. Si prius, cum ea lex favorabilis sit, & generalis, universæ nimirum genti Christianorum lata, debuisset Legislator disertè ab ea excludere defunctos, si excludi voluisset: propterea quòd lex favorabilis, ad quàm plurimos potest, extendenda sit, non

non ad pauciores restringenda. Si verò Christum ut parentem aspiciamus, eamque illius legem ut ultimam voluntatem: profectò cum parens quispiam morti vicinus, coactis ad spondam suam universis liberis supremum loquens, ultima mandata illis dat, solet majoribus ac provectioribus singulariter commendare curam natu minorum; horumque tutelam bonis ac prudentibus viris committere? nempe quia eorum infirmitas, & sese suaque regendi imperitia, impotentiaque auxilio alieno indiget. Et arbitramur Christum Opt. Max. Parentem, charissimas defunctorum animas calamitatis suae levandae protus impotentes, oblivione, aut voluntate praeterisse tum temporis, cum caeteris liberis communiter prospiceret, & praepcepta ultima traderet? Quid dicam crudelitatis arguendum illum, qui moriens filio custodia detento opem ferendam non imperaret; cum etiam alieno, & inimico, & mortis suae machinatori auctori que, caritas, humanitasque favendum tum maxime praecipiat? An verò existimabimus eundem Christum, aut inhumanum in pios manes fuisse, pridie quam pro ipsis pateretur, ac moreretur: aut quam id temporis mandavit, commendavitque caritatem, neglexisse, cum tamen dilectionem suam in regulam nostrae etiam tum proponeret?

455. Sic enim argumentari licet: dum ita confirmatur hac ex verbis Christi caritatem praecipientis. juber Christus: *Mandatum novum do vos, particula illa dilexi vos*, ad defunctos etiam significantes se porrigit, cum omne genus dilectionis in omnes denotet, nominatimque passionem, ac mortem Christi, cujus fructus ad omnes derivatur. Igitur dilectio, quae praecipitur, etiam ad pios manes extendatur, oportet. Alioqui enim certe mandatum illud caritatis, verè novum, at non sat pie diceretur, quoniam praeter humanum morem, dum caritatem in filios, pariterque fratres praeciperet, eos illo praeccepto non comprehenderet, qui maxime alienae opis indigent. Quod si verò Christus pios manes eo praeccepto comprehendit, ergo quae precibus, quae modis aliis via illis in caelum expedienda est. Et sequela haec patet: quia omnium Theologorum consensu obligor lege caritatis proximo, dum commodè licet, beatitudinem procurare: igitur & tollere beatitudinis ad eundem impedimenta, ex quibus est obligatio ad poenam culpae remissa debitam, quoniam ea manente beatitudo nequit acquiri. Et verò qui ad finem alteri comparandum aliqua lege tenetur,

etiam ad media, ut vocant, ei comparando necessaria teneri compertum est.

PARS SECUNDA.

*Eiusdem causa explanatio moralis.*

456. Cum itaque constet obligatio caritatis supernaturalis in defunctos, atque adeo subsidii iisdem providendi, vis ejus obligationis expendenda est. Primum itaque cum charitas animum impellat ad bene Deo volendum, ejus verò infinita maiestati, ac beatitudini nihil addere verè possumus, ipse loco suo proximum exhibet, quippe quem naturae, gratiaeque donis ei communicatis sibi similem, & tamquam alterum se effecit: ut quae bona ipsi reddere ex charitate deberemus: ea proximo eorum capaci reddamus. Cum igitur propter stabilem in gratia confirmationem, & indubitam gloriæ caelestis spem pii manes plurimum de divinis participent, consequitur & simillimos Deo esse, & eorum quae Deo tribuenda essent, plurimum iis ex charitate deberi. Sicut igitur ei, qui iussus esset filiis solvere, quod parenti debetur, eadem inesset obligatio illis solvendi: ita qui caritatis officia defunctis negat, perinde reus est, ac si Deo negaret. Sed rem pressius urgeamus.

457. Tanto strictior est obligatio aliquem diligendi, quanto is amore dignior est. Ut ergo Deus maxime omnium amore dignus est propter infinitam bonitatem, seu cumulum perfectionum omnium; ita caeteris paribus amor ac charitas in pios manes ea proportione crescere, & excellere debet, quae ad Deum, propter quem diliguntur, accedunt, eique conjunguntur. Atqui indissolubili intimoque amore, plurimisque aliis divinis donis ei conjunguntur: igitur excellere debet ea charitas, quae illorum merito par dici possit, ac proinde obligatio eos diligendi, & miseris eripiendi non potest in minimis numerari.

458. Illustrari haec magnopere possunt, si quibus gradibus pii manes ad Deum accedant, attendamus. Enimverò filii Dei sunt, & ipsi concepti de Spiritu Sancto, nativaeque ex Maria Virgine, neque possunt tanta dignitate excidere. Etenim cum Spiritus Sanctus nullam in Sanctissimâ Trinitate personam producat, gaudet inter homines habere filios, eosque sibi gignit, essentiae suae communicatâ velut particulâ. Et Immaculata Maria administram matremque hac in generatione se praebet, nempe precibus, & amore, ac favore eos Deo pariendo, Et licet haec utraque praerogativa

rogativa mortalibus obtingat: tamen purgandis animis singulariter competit, quod jam competat felici quadam necessitate, atque aded nullâ umquam vi, aut ætate possit illis perire. Atqui filii deliciae sunt parentum, & solent hi majorem illorum, quàm sui gerere curam. Quum ergo Spiritus Sanctus amorem sui, ac suorum præcipit, amorem piorum manium, ac proinde ipsorum in tantâ suâ necessitate levamentum maximè præcipit.

459. Deinde eadem animæ Numinis Sponsa sunt, non quidem una caro, effectæ, sed, quòd longè præstantius, unus spiritus cum eo: nec possunt aliud velle, aut nolle, quàm velit, nolitque Deus: isque amor, atque voluntatum consensio divelli non potest. Et tamen tam nobiles, tam dilectæ Deo Sponsæ, pro thoro nuptiali, rogum invenere, in eoque non modò flammâ vindice ardent, sed & simul illius, qui castigat aritque, desiderio, & amore. Quamobrem & ipse Sponsus, qui castigando amat, & urendo uritur earum amore, quique promiscuè vult diligi amicos, imò & inimicos suos, scilicet Sponsas illas suas amantissimas amantissimè à mortalibus adjuvari imperat.

460. Quòd si veritate teste, qui fecerit voluntatem Patris, qui est in cælis. ille Christi frater, & soror, & mater est, id est, tanto ipsi est in amore, ac si his omnibus nominibus Christo conjunctus esset: si homines justi revera ejusdem fratres sunt, eiusdem utique Patris soboles, & propterea sic ab eo non semel appellati, & re ipsa eiusdem hæreditatis consortes: si illius matres dici possunt, qui vel in suo, vel in alienis cordibus eum pariunt, omnia hæc nomina piis manibus apprime conveniunt, & ideo his omnibus nominibus à Christo adamantur. Cùm igitur legem tulerit omnes communiter amandi, quis dubitat, quin hunc amorem in eos effundi voluerit: Quis ambigit, quin eorum unumquemque ita velit iuvare, ac si ipse, & frater, & soror, & mater esset? Audis hæc Christiane? & quid, quæso, faceres, quid non faceres pro fratre Christi naturali: quid pro sorore, quid pro matre facerendum, patiendumque censeret? Quid: particulam illius crucis igni, & ustioni expositam negligere nequires, & si togam illius, aut capillos habere posses, omni amore, cultu, custodiaque dignos crederes.

461. Et ecce non modò fratres, aut sorores, matresque Christi, non modò togam, aut capillos, sed eiusdem viva membra flammis expiatriebus conflagrare audis. Sic enim Apostolus 1. Cor. 12. Vos estis corpus

Christi, & membra de membro. Quod Augustinus tract. 28. in Joan. ita demonstrat. Si ipsi fideles non essent membra eius, non diceret Saulo: quid me persequeris? non enim Saulus ipsum, sed membra eius, fideles eius, in terrâ persequeretur. Noluñt tamen dicere sanctos meos, servos meos, postremò honorabilis fratres meos: sed me, hoc est, membra mea: quibus ego sum caput. non enim, inquit, Christus totus in capite, & non in corpore: sed Christus totus in capite, & in corpore. Sic ille doctor. porrò nosti membra ista intimè fortissimeque ab eo adamari, sic ut eorum causâ corpus ipse suum discindi flagris, & denique vitam profundere voluerit: Insuper nosti amorem in omnes ab eo præcipi; quo igitur animi sensu, quantâ benevolentia ad eorum in flammis levamen ferri te oportet! Quid? Charitas non tantum naturalis, sed etiam supernaturalis te obligat ad eripienda vel tui, vel alterius membra corporis, si fortè flamma hæc invaserit, aut nisi juves, sit invasura: membra igitur Christi spiritualia, atque ut cum Deo ipso loquar, pupillas oculi divini, an dubitare potes, quin igne illo ardentissimo ex charitate supernaturali sint eripienda?

Enimverò nolle ex flammis eripere viva Christi membra, quid aliud, quàm Christum ipsum nolle eripere? Quid enim membra eius in purgatorio atineri, aut vindicibus illis flammis excruciarì, quàm attineri atque excruciarì ipsum Christum? Quid aliud Laurentii membra super craticulâ torreri, quàm torreri ipsum Laurentium? Itaque cunctari, aut nolle eripere pios manes, viva utique, ut diximus, Christi membra, est ipsum Christum cunctari, aut nolle eripere. Verùm quid hic moror? nemo alius id tam carè, quàm Christus ipse pro supremo suo tribunali, orbe universo audiente dicturus est, hisce verbis Matth. 25. Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis: esurivi, & dedistis mihi manducare. Quò alludens D. Chrysologus Serm. 14. in Plal. 40. cuius hoc initium. Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, sic ait, nuditate algidus, tabidus fame, siti aridus, lassitudine tremens, defectu luridus quòd egenus sis, intelligere, quis labor? Et si labor intelligentiæ nullus est, unde intelligentiæ fructus? Oremus fratres, ut ipse intelligere nobis intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere demonstrat, quòd ipse, qui cælum regit, sit nudus in paupere, quòd in esuriente esuriat saturitas rerum; quòd sitiat in sitiente, fons fontium: intelligere quomodo non magnum est, quomodo non beatum

## Patrocinium Defunctorum. Lib. II. 151

beatum intelligere, quod ei sit ampla paupertas, cui angustum est cælum, qui ditat mundum quod degeat in egeute, quod frustum panis, aqua calicem, dator omnium querat, quod se Deus amore pauperis sic deponat, ut non adsit in paupere, sed ipse sit pauper. Ita Chrysologus, qui deinde sic pergit: Sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem infuderit, dicat ipse iam nobis: *Esurivi, inquit, & dedistis mihi manducare; non dixit, esurivit pauper, & dedistis illi manducare; sed esurivi ego, & dedistis manducare mihi: sibi datum clamat, quod pauper acceperit, se manducare dicit, quod comedit pauper: quod bibit pauper, sibi testatur infusum.* Ac deinde progreditur, expenditque Christum non modò sibi gratulari, quod datum pauperi munus acceperit, sed & testari semet in paupere miserias passum esse. Quæ quidem oratio sanè præclara est, & ad Christi sensum perquam accommodata: sed si de quolibet paupere vera est, ad paupertimos Purgatorii pauperes multò satius transferenda est. Quare dicere jam licet Christum Redemptorem piaculari flammâ torqueri, atque ad eò ipsum iterare illud lugubre carmen *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei*: pro quibus tot, & tanta pertuli vivus, & ecce mortuus in mortuis dilectissimis mihi membris nunc acerbissimè crucior. Quæ verba si non ardentissimam charitatem, ac benignissimam misericordiam è cordibus nostris eliciant, certè quidem eam exigunt.

§. 2.

### Posteriores obligationis causa.

<sup>463.</sup> *Sunt in necessitate.* **S**ED caput est hac in materiâ piorum Smanium demonstrare necessitatem; quandoquidem hæc maximè, cæteris quidem paribus, momentum addit obligationi. Porro necessitas animarum eò pluris fieri debet, quò plus cruciatuum tolerandum illis est, nisi succurras, & quò minus ipsæ per se possunt illos levare. Cruciatu autem duplices sunt, scilicet damni, & sensus, & utriusque omni humano cruciatu graviore. Impotentia verò eos sublevandi, ut sæpè dictum est, & dicitur, summa est.

<sup>464.</sup> *Obiectio.* Neque sat est ad excutiendam adjuvandi obligationem, quòd licet tu ipse non adjuves, credibile sit alios illis opem laturus: neque verò defuturas illis communes Ecclesiæ preces, ac sacrificia. quamvis enim hæc ratio obligationis vinculum laxet, minime tamen dissolvit. quippe quòd semper

aliæ & aliæ sint animæ, quibus, nisi medeare, ut facile potes, gravissimi dolores sint subeundi: Præterquam quòd etiam illæ, quas ab aliis mortalibus juvari pones, non omninò eripiantur è gravissimis malis, & interea citra incommodum possunt à te sublevari. Igitur pios manes non conari in hac sua subsidii necessitate levare, procul dubio caritati divinæ repugnat. Et verò ita disertissimè sentit Carthusianus, cuius hæc est oratio: *Omnino exira viscera exulat charitatis, & omni est fraterno spoliatus amore, qui sua negligentia, aut vecordia miseris amicorum suorum animas in Purgatorii flammis ardere permittit: Cùm dicat S. Pater Augustinus, nulla presentis vitæ supplicia, etiam si universa congerantur, Purgatorii esse tormentis coequanda. Hac tecum sapienter pensites velim, ut id agas ocyus in animâ proximi, quod tibi in similibus pœnis cuperes impendi.* Ita Carthusianus Epist. ad Doctorem Theologiæ Coloniensem apud Bzovium Anno 1471.

Quæ cùm ita sint, nemo, ut opinor, homo catholicus miseris illas animas ope sua deinceps destitui posse autumabit. Et verò nemo est, qui infantem in ignem lapsum non statim eripere festinet, etiam cum aliquo suo periculo. Et fuit non pridem illustrissima quædam Belgii scemina, quæ cùm foco assidens aviculam è camino fortè in ignem collapsam animadvertisset, derepente omnes famulas circumstantes in illius auxilium, libertatemque bestiolæ invocavit, unde opportunissimè edocta est à Sacerdote Religioso istic presente, cùm Deus naturæ tantam in miscellas etiam bestias caritatem indiderit, longè illum ardentiore sincerioreque animas completi, quæ res id temporis non parum anxiam illam habebat.

Nemo quoque est, qui se omnium execratione dignissimum non putaret, si hominem colluctantem cum undis, subsidio, quod afferre commodè posset, non dignaretur: & erit catholicus, qui non se indignum putet pios manes negligere, cùm liberare possit. licet negligentia illa ob causas allatas veniali tantum culpæ verti queat?

Jam Regis filium, & Regni legitimum heredem, dum jus, fasque est, non restituere in integrum, etiam barbaris detestabile censetur, si præsertim ejus virtus ac probitas, ac merita parentis illum Regno alioqui dignissimum demonstrant. Atqui pii manes celestis Regni legitimi heredes, cælo extorres, insuper ergastulo attinentur; virtusque illorum, ac probitas

Regno

<sup>465.</sup> *Ergo is aut peritulum, ut lapsus in ignem insanis.*

<sup>466.</sup> *Aut hominè in flumen.*

<sup>467.</sup> *Aut filio Regis regno exturbato.*

Regno dignos illos efficiunt, & merita Christi Regis, amantissimique eorumdem parentis, restitutionem profectionemque ad solium cæleste exigunt, iis ergo suppetias non ire inhumanum est, adeoque divinæ adversum caritati. Quare cum hæc etiam, ut vidimus, totius Sanctissimæ Triadis inviolabili lege præcepta sit, an erimus Christo fideles, an legitimi Numinis filii, nisi piissimos illos Numinis filios ad Regnum cæleste omni ope provehamus?

468.  
Alioqui ne  
Christiani  
quidem su-  
vum.

Tantum abest, ut ne verè Christiani quidem dici mereamur: nam si Christianus est Christi discipulus, quo nomine Christi affeclæ olim appellati fuere, *In hoc, (ait ipse,) cognoscent omnes, quod discipulus mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem:* Jo. 15. nec dicas sufficere si viventibus eam præstes: ut enim vera caritas esse definit, si viventium, vel unum quamlibet inimicum communibus charitatis divinæ officii prosequi recuses (quoniam una, eademque ratio est omnes diligendi, quòd scilicet omnes sint res, ac bonum Dei) ita si mortuis prætermisissis ad omnes vivos, & solos caritatem extendas. Ergo ad vos omnes, ò pii Lectores, pertinent hæc Pauli. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi:* Gal. 6. Ea enim Hugo Etherianus ad pios manes juvandos allegat, de regressu animarum c. 15. Et sanè rectè poenas purgantes onera voces, & gravissima quidem onera, non modò quòd acerbissimo mœrore ac molestia afficiant animas, sed etiam quòd eadem naturâ, & totis desideriis sursum tendentes, instar gravissimorum onerum propius ad centrum Universi depressas detinent. Rursum rectè à vivis portanda dicas, quòd caritas ea velut imponat cordibus piorum, quippe quæ miseras alienas miseranti faciat proprias, nec abjicere aut oblivisci sinat. Et ideò D. Ambrosius, ut veram in Theodosium Imperatorem caritatem suam esse demonstraret: *Dilexi, inquit, & ideò prosequor eum usque ad regionem vivorum, nec deseram, donec fletu, ac precibus inducam virum, quòd sua merita vocant, in montem Domini sanctum.* Ut namque rectè Simon Casianus l. 13. in Evang. c. 129. *non potest esse in absentia dilecti, otiosus legitimus amor, & post mortem exhibet dilectis officia servitutis.* Rectè *Servitutis.* Divina enim caritas alumnos suos velut defunctorum servos urget, adigitque ad opem iis ferendam. Id quod in Anthea Lucensî femina luculenter compertum est. Hujus enim in accurando mortuorum negotio, quanta fuerit sedulitas, quantus animi ardor, vix fando possit

explicari. Etenim cum perpetuo ac durissimo jejunio, simplicissimâ in tunicâ hyemem toleraret, precibus continuis vitam ageret, & quodam divinitatis impulsu concursaret, Sabaudum, Mantuanumque Regulos, ipsumque Cæsarem adiret, quidquid auferre poterat, totum expediendis illico piarum animarum nominibus impendebat. Ob eamque causam Virginum Collegia, & hospitalia ægros domos ædificandas curavit. Et verò tam ardentis animi sensu in id opus incubebat, ut omnes facilè in sua vota pertraheret, cum *mortuos suos* rusticâ quadam vocis inelegantiâ, sed plusquam civili diceret charitate. Ita memorat Noster Joannes Rho de Amore. l. 1. c. 4.

Et utinam alii, aliæque similia factarent, aut certè ad eam caritatem longo licet intervallo accederent! Sed nescio quo pacto evenit, ut cum caritas multos Christianos impulerit, impellatque ad curanda miserorum corpora in Xenodochiis, nosocomiis, orphanotrophiis, aliisque ejusmodi piis locis, piorum manium calamitates oblita videatur. Pauca videas per orbem sodalitia in eorum gratiam erecta, & cœnobicia quidem, ac Sacerdotia, seu Canoniciatus eâ causâ instituta sunt, ut ex cantu divino, pauperumque alimentis fructus satisfactionis, impetrationisque ad vitâ functos manaret: sed novit Deus, novit plebs Christiana, quàm rarè voluntas hæc Fundatorum rectè expleatur; sive quia rara ac levis est cura defunctorum, sive quia bona Crucifixi malè expendi solent. Jam privatorum studium suos adjuvandi quàm exiguum sit, ex historiâ Lazari discite. Num ægrotat Pater, aut frater aliquis? Marthæ, & Mariæ instar renunciant Domino, dicuntque nec semel, & cum crebris lacrymis: *Ecce quem amas infirmatur.* At vix triduo à morte elapso, ne de illo cogitare quidem sustinent, *quattriduanus est, iam factus, & de multis verè nimis dici potest illud Psalmistæ; perit memoria eorum cum sonitu; æris videlicet campani, quod viventes honoris potiùs sui causâ quàm defuncti, magnificè pulsari curant.* sed ut insinuavi, ea demum caritas vera est, quæ viventium bono consulere non contenta, ad mortuos se porrigit, nec enim acquiescere potest qui revera alteri benè vult, nisi eadem benè ac beatè sit. Curta nimis, & angusta ejus caritas est, cui quod procul ab oculo, procul est ab animo.

469.  
Querimo-  
nia de in-  
pia carita-  
tis in de-  
functos.

ARTICULUS III.

*Misericordia lege piis manibus  
opitulandum.*

§. I.

*Declaratur.*

470.  
*Misericordia lex sa-  
pe promul-  
gata.*

**M**ISERICORDIÆ lex, non uno loco, nec semel lata, & promulgata est. Nam in veteri quidem Instrumento Zach. 7. *Hæc ait Dominus exercituum dicens. Iustum iudicium iudicate, & misericordiam, & miserationes facite, unusquisque cum fratre suo.* Deinde in novo sic immittem servum arguit Dominus Matt. 18. *Nonne te oportuit misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* Sed nihil evidentius hoc in genere supremo Christi iudicio Matth. 25: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, En pœna. Quæ culpa, quæve legis violatio? Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere.* Et verò dilectus discipulus idem didicerat à Magistro suo. Quamobrem Epist. 1. c. 3. *Qui habueris, ait, substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo quomodo charitas Dei manet in eo?* Si charitate, & gratiâ Dei excidit, raram est, offensæ Numinis, & legis ejus violatæ, reus est.

471.  
*Ad miseri-  
cordiam  
spiritua-  
lem stricti-  
us obliga-  
mur.*

Quòd si autem misericordiæ lege corporum miseras levare tenemur, haud ambiguum, quin, & animæ, & strictius quidem, depellere obligemur. Nam cum ratio miserendi, sit miseria, spiritualis miseria longè gravior est; atque adeò misericordia spiritualis magis necessaria. Adde, & hanc esse faciliorem, cum citra incommodum exhiberi queat; & nobiliorem, tum quia bonum spirituale præstantius est corporali, tum quia animus cui benè sit, præstantior corpore, tum denique quia actio, per quam animo opitulans, est nobilior.

472.  
*Lex miseri-  
cordiæ  
spectat de-  
functos.*

Ex quibus manifesta fit obligatio piis manibus opitulandi. Horum enim miseria & corporalis dici potest, & spiritualis. Corporalis quidem, quia ignis quo torquentur, corporeus est, & cruciatus ei similis quem corpus vivens vel potiùs anima illi insidens patitur. Verè enim, ut probavimus, in illam sævit agitque iustis ignis, ei que ejusmodi dolorem inurit, quem inureret ipsimet corpus insidenti.

Spiritualis verò vocari eadem miseria potest, tum quia spiritum afficit, tum quia maximè sita est in tristitiâ ex privatione visionis beatificæ & scelerum memoriâ manante. Quare si alterutra calamitas misericordiam jure suo exigit, longè potiori utraque illam exiget. Ne autem quispiam perperam objiciat misericordiæ legem ad solam mortalium miseriam sublevandam obligare, meminerit à Suario, cæterisque Theologis, objecto materiali misericordiæ comprehendi eos omnes, quos caritas spectat, modò sint miseræ capaces. Quare cum charitatis virtus ad eos juvandos se porrigat, quis misericordiæ legem ad solam viventium sublevationem extendat? Accedit, quòd Christus eum damnet, qui Domini servum, & Joannes, qui fratrem suum non sit miseratus: pii autem manes & Domini servi, & fratres nostri sunt: & horum igitur non misereri, inhumanum, & misericordiæ lege vetitum: præsertim cum pluribus Scripturæ locis, misericordia generatim præcipiatur, & avari, immitisque ingenii sit, nolle ad defunctos hujus legis fructum extendi.

§. 2.

*Amplificatur ex conditionibus  
misericordiæ.*

**C**ÆTERUM ut hæc obligatio luculentius monstratur, tres mihi res expendendæ sunt, quas ad miserationem requirit Philosophus 2. Rhetoric. cap. 4. Prima est ut qui miseretur, alienam miseriam æstimet suam. Id quod authore D. Thoma q. 30. a. 2. duplici ratione potest contingere. Primum per affectuum consensionem, atque ut vocant, unionem, quam verus amor parit: cum amicus amico sit alter ipse, & alterius malum sit utriusque. Quare idem Philosophus inter amicorum officia meritò mutuum commiserationem recenset. Posterior modus in communione miseræ situs est: si nimirum quis vel eadem patiat, vel propter ejusdem naturæ fortisque societatem se pati posse arbitretur quæ in misero videt. Nam propterea ejus illum miseret. Quo pacto infirmi, senes, ac Sapientes, cum propriam naturæ imbecillitatem agnoscant, ad miserandum proniores sunt robustis, juvenibus, fatuis, qui cum miseras, vel experti non sint, vel se posse experiri non existiment, facile iis se immunes fore arbitrantur.

473.  
*Conditio-  
nes miseri-  
cordiæ.*

Atque hinc existit prima causa piorum *Misera de-  
functorum* manium miserendi. Ut enim de officio amicorum

V

amicorum

*nostra con-  
feri potest.*

amicorum nihil jam dicam, quis iustas  
pœnas capiti suo imminere non credit?  
Quis non gemit sæpe, & certò se peccasse,  
& rarò studuisse Iustitiæ divinæ pro tot suis  
culpis satisfacere; numquam, dum viveret,  
cogniturum, an revera vel unam culpam  
legitimo dolore diluerit? tantum abest, ut  
noverit se illius unius pœnam solvisse.  
Quid de universis censendum? Etenim  
singulis diebus, imò horis, imò vitæ mo-  
mentis cumulantur noxæ; adeò ut *Iniqui-  
tates meæ supergressæ sint caput meum,  
& sicut onus grave gravata sint super  
me: Imò putruerint, & corrupta sint cic-  
trices meæ à facie insipientiæ meæ, & præ-  
terea infirmata sit in paupertate*, sive ut  
alii legunt, *in malitia virtus meæ*; adeò ut  
pro nozarum multitudine, ac gravitate;  
inopiâ gratiarum actualium, quæ pectus  
corroborare natæ sunt, magis ac magis  
premar. Quare felicem se fermè quisque  
credat, si temporariis dumtaxat pœnis ca-  
stiget, ac propterea aliorum qui jam  
nunc castigantur, malis, ad miserationem  
subsidiumque piorum manium commo-  
veatur, oportet. Illud enim est quod Apo-  
stolus monet Heb. 13. dum sic hortatur:  
*Mementote vincitorum tamquam simul  
vincti, & laborantium tamquam & ipsi  
in corpore morantes.* Etsi enim captivos  
fidei causâ Christianos hisce verbis com-  
mendet; velitque alios ad ciendam in se  
misericordiam reputare seipsum iisdem  
cum iis miseriis ac vinculis premi: tamen  
ad nos, & ad captivos nostros, eadem ora-  
tio spectat: & ita quidem, ut Apostolus  
velit, cum eadem captivitas nos maneat,  
idemque Purgatoris flammæ ardor, hæc  
velut jam pateremur, nobis ob oculos  
mentis ponenda esse: & perinde, atque si  
defunctorum in animis commoraremur,  
eorumque cruciatus sentiremus, ita ad le-  
vamen eorum, & flammarum extinctio-  
nem ferri nos oportere. Ita Jobum imi-  
tabimur, qui c. 30. *Flebam, inquit, quon-  
dam super eum, qui afflictus erat, & com-  
pariebatur anima mea pauperi.* Quem  
locum nonnulli sic legunt, ut dicat idem  
vir sanctus, *dilacerabar, urebar*; ut videat-  
ur Spiritus Sanctus, ad commiserationem,  
de qua agimus, aspexisse, & innuere, ut sic  
eâ exæstuemus, quasi idem ignis tormen-  
tum perferiremus. Quò etiam spectat  
illud Augustini ac Cassiodori apud Corne-  
lium, *Sudet Eleemosyna in manu tuâ, quo-  
asque invenias iustum, cui eam tradas.* Ut  
intelligamus, dum de Justis ac piis mani-  
bus juvandis agitur, totum hominem cu-  
rà & sollicitudine velut ardere debere; sic  
ut eleemosyna ipsa calorem concipiat.

Quamobrem agnoscis, mi Christiane Le-  
ctor, primam conditionem ad misericor-  
diam ab Aristotele requisitam hîc adesse:  
& te quoque, & omnes Christianos prop-  
ter hanc ipsam ad miserandum urgeri,  
cum peccatis obnoxios priorum manium mi-  
seriis ac suppliciis obnoxios esse necesse sit.

Nunc ergo videnda nobis est altera con-  
ditio ab eodem Philosopho expetita, di-  
spiciendumque, an & ipsa piis manibus  
conveniat. Hæc igitur est, ut calamitas  
ob quam miserandum sit, præter patien-  
tium voluntatem contigerit; adeò ut illâ  
se expedire nequeant. Siquidem, qui  
sponte miser est, miseratione indignus cen-  
setur, ut patet in avaro, qui cum pecuniæ  
cupiditate sese curis ac laboribus enecet;  
& in libidinoso, qui cum multas noctes in-  
somes & anxias ducat; & in cupido vin-  
dictæ, qui cum tabescat, nullâ tamen mi-  
sericordiâ, sed execratione potius atque im-  
precatione digni judicantur: quippe quòd,  
& possint, & debeant ejusmodi miseriis à  
se depellere. At piis manibus planè con-  
trarium accidit. Quamquam enim prop-  
ter maximam voluntatis suæ cum divina  
consentionem, Iustitiæ divinæ se plecentis  
manum velut exosculentur & ament, ta-  
men quia pœna illorum, caritatis propen-  
sioni, & beatitudinis desiderio adversatur,  
& insuper sensibilem dolorem inurit, uti-  
que illam vehementer abhorrent, eoque  
miseriores se reputant, quò minus valent il-  
lâ se expedire. Gemunt itaque cum Psal-  
mista, *sicut pullus hirundinis*, sive ut Sym-  
macus vertit, *ut hirundo inclusa*; quæ ni-  
mirum frustra clamat, neque clamore ca-  
veam referare ullatenus potest. Item cum  
Judæis apud Isaiam c. 26. hunc in modum  
gemunt: *Sicut quæ concipit cum appro-  
pinquaverit ad partum: Concepimus, &  
quasi parurivimus, & peperimus spiri-  
tum, salutes non fecimus in terrâ.* Quali  
dicant: puerpera quidem post partûs dolo-  
res edit foetum; at nos miseri post dolores  
longi puerperii, quòd Deum in nobis pa-  
rere & possidere per visionem beatificam  
desideravimus, peperimus ventum, id est  
rem evanidam, seu nihil votis profecimus.  
Curnam? ô miserabiles! Quia, inquit,  
salutes non fecimus in terrâ, id est, dum  
essemus in vivis, rem salutis & satisfaciendi  
studium negleximus, qui sensus ad Vatabli  
interpretationem propè accedit.

Inde verò misericordiæ necessitas & 476.  
obligatio major emergit, quam Deus ore Igitur co-  
Ecclesiastici non femel proclamat; nam rum mise-  
c. 4. *Ab inope, inquit, ne avertas oculos, & vere.*  
cap. 7. *neque inopem deselinquas.* Quid  
enim inops? certè qui sine ope est miser,  
& Isaias,

475.  
Est autem  
præter vo-  
luntatem  
illorum.

476.

Igitur co-  
rum mise-  
vere.

& Isaias, Jeremias, aliique prophetæ inter præcipua Principum Judeorum crimina hoc ponunt; *Pupillo non iudicant, & causa vidua non ingreditur ad illos.* Il. 10. propter hoc, ait, *Dominus Deus exercituum, fortis Israel: heu! consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Quibus verbis ostendit Deus primum, velut compellendam se ad vindictam de hoc scelere sumendam: quippe cui misereri sit proprium. Deinde eam fore acerbam: perinde ac gemit medicus malum adeo grave esse ac periculosum, ut membrum eo affectum, veluri, vel secari oporteat. Et paulò post pergens idem Vates: *Et erit, inquit, fortitudo vestra, ut favilla struppæ: & opus vestrum quasi scintilla, & succendetur utrumque simul, & non erit qui extinguat.* Quæ sic accipere possumus, ut his significetur pœna immitium in miseros, pupillos, & viduas, atque adeo in pios manes, qui propter impotentiam & derelictionem verè pupilli & viduæ vocari possunt; pœna, inquam, incendii purgantis, quo eorumdem immitium fortitudo, seu potentia juvandi nimium iners & otiosa, & opus pravum ita succendetur, ut non sit qui precibus suis, aut alia ope, illud extinguat, nempe in pœnam talionis. Quamobrem quod monet Ecclesiasticus cap. 20. tibi nominatim scriptum existima, mi Lector, *propter mandatum Numinis tam gravibus supplicis sancitum, assume pauperem, Purgatorii pupillum, & propter inopiam, atque impotentiam, ne dimittas eum vacuum.*

477.  
Adde misericordiam eorum dignitati repugnare.

Præsertim cum tertia conditio ad misericordiam à Philosopho requisita, hinc quoque, & maxime adfit, ut pœna sit præter dignitatem patientis: Quo enim celsior est gradus ejus, qui affligitur, eò magis miserationem illius crescere experimur: quoniam etsi eam mereatur, tamen celsitudo, ut supra vulgus eum effert, ita pœnæ reis communi eximere debere videtur. Et verò hæc est consuetudo mortalium Judicum; ut nobiles ac primarios mitiore pœna plebant, quam plebeios ejusdem criminis consortes; maxime cum infamia ac pœna minor viri illustri æquate censeatur graviorem hominis vulgaris. Porrò de dignitate piorum manium nihil jam attinet dicere. Nota est ex dictis, & tamen nulla illius habitâ ratione plebantur, ut prædones, ut parricidæ, ut malefici, ac sagæ. O tormenti atrocitatem! neque dicas non posse à justissimo Judice puniri, nisi justissimis pœnis, imo citra justitiæ rigorem, ac summum jus re ipsa puniri. Nec enim id negare possumus, aut volumus; sed tamen

utcumque justè plebantur, multorum lapsus non tam culpæ quàm erroris fuit: & quantæ quantæ aliorum culpæ fuerint; tamen omnes filii, amici, ac Sponsæ Numinis sunt, quando, & quamdiu plebantur, & Regum instar cælo dominabuntur. Igitur tantis in tormentis misericordiâ dignissimæ sunt.

Quid enim? perimitur Rex Israëlitarum Saul malevolus in paucis & sacrilegus, & Dávid ei magnificè parentat, laudesque accinit, & mortui corpus à Philistheis raptum Galaaditæ honorificè contumulant. Dejicitur è fenestra sanguinaria Jesabel, equorumque ungulis conteritur, & mittit Jehu, qui sepeliant; *Quia*, ut ait, *filia Regis est.* Capitur fœditragus Sedecias, & lugens Jeremias, *Cecidit*, ait, *corona capitis nostri: Va nobis, quia peccavimus: propterea mæstum factum est in dolore cor meum: ideo contenebrati sunt oculi nostri.* Thren. 5. & cæli illæ Reginæ Regibus univertis excelliores, piissimæ ac religiosissimæ Christi Sponsæ, tantis calamitatibus oppressæ, misericordiam non mererentur?

478.  
Misericordiam exempli iudeorum.

§ 3.

*Neglectus illius misericordiæ culpæ vertendus.*

IT AQUE ut Synopsim quamdam hujus articuli proponamus, cum certum sit misericordiæ præceptum non corporalis tantum, sed & spiritualis, & verò misericordia in pios manes cum utraque habeat aliquid commune, cum insuper exploratum sit omnes misericordiæ conditiones ab Aristotele requisitas abundè hinc inveniri, ita ut piorum manium miseriam arbitrari nostram possimus, & hæc ipsa præter illorum voluntatem accidat; nec possit ab iis vitari, & præterea eorum dignitati repugnet eam perpeti; nihil est cur misericordiæ lege, iisdem succurrere non teneamur. Itaque alienum est à pietate ac misericordiâ, opinari negligentiam in hoc genere obnoxiam culpæ non esse, adeoque frustra in confessione Sacramentali aperiendam, & futile est rursus dicere misericordiam in vivos præcipi, non in vitâ functos. Constat enim omnium Catholicorum consensu, præcepto misericordiæ mortales obligari ad sepeliendos mortuos: cujus ratio redditur, quòd animis defunctorum, ad quas scilicet corpora pertinent, ignominiosum sit ea insepulta jacere. Et sanè defunctorum animæ, adhuc in se, & in homi-

479.  
Culpa non tantum.

num memoria vivunt, & propterea in justitiam peccat qui eorum famam detrahit. Quidni igitur peccabit in misericordiam, qui miseras, cum facile possit, non adjuvat? Tu itaque Christiane Lector, si intelligentiam propositis rationibus urgeris sentis, voluntatem misericordiam per mitte. Dum enim loquimur, dum scribimus, dum placidè hæc consideramus, animæ cremantur, lamentantur, auxilium nostrum implorant. Saltem vota illis mittamus, quodque agimus, aut cogitamus, hoc illorum bono agamus, & hæc enim *aqua exinguit ignem*.

§ 4.

*Singula misericordiam opera negligit, qui in pios manes immitis est.*

480. **B**ELLE huc aptem illa Isaia cap. 18. *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius: ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius. Qui enim illi Angeli? illi nimirum, qui vel votis, ac stipe egenis data, piis manibus annunciant captivitatem eorum brevi terminandam, vel Tutelares ipsorum defunctorum, qui obtentum operam suam ejusmodi subsidium iisdem renunciant. Quæ verò gens illa convulsa, & dilacerata, sive ut alii legunt, per omnes tribulationes tracta? nisi ipsimet pii manes verè à Deo avulsi, & velut laceri ac supplicii omne genus cruciatuum superantibus confictati. Qui quidem etiam populus terribilis rectè dicuntur, post quem non est alius, quia flammis inhorrescunt, terrentque vel cogitantes, suntque centro terræ vicini, & à nobis remotissimi, & probabiliter orco continui. Et advertite aptissimè nuncupari, gentem expectantem, vel ut alii expectantem, expectantem, phrasi hebraicâ, quâ summa eorum expectatio denotatur. Adde, & de Purgatorio bellè intelligi ista: cuius diripuerunt flumina terram eius, flumina, inquam, ignea totam intercapedinem terræ centro vicinæ inundantia, adeò ut ipsa non appareat. Bellè, inquam, hæc omnia Purgatorio accommodem, cum in illud unum calamitates omnes confluerunt, atque ideò omne genus misericordiam iis exhiberi par sit. Quamobrem visum est sigillatim ostendere opera illa, quæ vulgato hoc versiculo indicantur,*

*Visto, poto, cibo, redimo, tegeo, colligo, condo, ex lege misericordiam esse præstanda.*

*Vistandi pii manes.*

**I**TE igitur *Angeli veloces*, & invistate <sup>481.</sup> *gentem convulsam, & dilaceratam* doloribus: nec te pigeat, mi Lector *vistare* <sup>Pii manes infirmi, & captivi visitari possunt.</sup> *agros*. Sic enim præcipit Siracides c. 7. & Christus satis innuit præceptum, cum Matth. 26. in formula supremi Judicii, hanc inter cæteras damnationis rationem adfert, *Infirmus eram, & in carcere, & non vistastis me*. Atqui pii manes infirmi sunt, ægrotant, ardent febribus continuis, aliisque pestibus pleni sunt: imò non febribus, non pestibus, sed vero ac sulphureo igni conflagent: cum quo collatæ febres ac pestes delicia dici queunt. Insuper teterrimo atque horribili carcere atinentur, de quo priùs diximus. Invisendi ergo sunt, si qui alii, & omni ope solatioque levandi, & facilis est ad eos *desensus*, nec difficile *revocare gradum, superasque evadere ad auras*. Primùm enim in promptu sunt, idque officii expetunt eorum Tutelares, ut nomine nostro eos adeant, significantque paratum à nobis subsidium. Certè viam ipsi norunt, quippe qui solatii, honorisque causâ eos illuc duxerint, ut plerique tenent Theologi. Deinde & nostri Custodes gratiam fieri sibi credent; si ad pios manes à nobis eadem causâ lægentur, cum sint *Angeli pacis* ac misericordiam. Sed & votis nostris, ac precibus eò penetrare licet. Nec enim fundentur eorum gratiâ, nisi in illos earum fructus effusi, certiores faciant de beneficio mortalium, & credibile est divino quodam lumine eos ab ipsis dignoscendos, ut grates, ac beneficia, quæ iam tum possunt reponere, reponant. Certè tunc ratum est illud proverb. 25. *Aqua frigida anima sitienti, & nuncius bonus de terra longinquâ*. Quin etiam dum iuvantur, dum liberantur, Patronos suos Angelorum loco habent, dicuntque cum Petro Act. 12. *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum & liberavit me de manu Herodis*, ignis, inquam qui præterquam quod urat, eos detinet, & catenis quidem duabus, quarum una auctore Suario ab igne is iniicitur, estque vis supernaturalis ac velut magnetica defunctos igni alligans: altera à Deo proximè, estque Numinis imperium, eosdem certo ignis loco hæere volentis, quod animis divinæ voluntati coniunctissimis sufficere, & fortius omni vinculo constringere docuimus.

Ergo ite ad agros, ac vincos illos, *Angeli veloces*: omnis enim mora longissima <sup>482.</sup> illis est; quippe quòd doloris tanti momentum,

mentum, annus illis sit. Ite: quia solâ miferatione ægritudinem eorum levare potestis. Et hîc maximè verum est illud Philosophi, *animo ægrotanti, medicus est oratio*. Addo eandem esse medicinam, & quidem refrigeratricem, & simul purgatricem. Quis non ægros inviseret si solo sensu doloris illorum, & pio in eos affectu morbos minuere, & sæpe extinguere febres posset? Quod si S. Ignatius Conditor Soc. JESU, Parisiis ab infido socio, & pecuniolæ suæ fure, Rhothomagum accersitus ad ægritudinis ejus & egestatis levamen, ita cucurrit, ut licet ægrotaret ille; tamen cervi instar præ ardore caritatis ferretur: Si S. Franciscus Xaverius cum Goam ex Japoniâ, aut aliunde in aliam urbem, in qua ægris commune domicilium erat, adveniret, primo quoque tempore ad nosocomium contenderet: Si Vincentius Carafa adolescens adhuc, rhedam vix alia de causa conscenderet, nisi ut ad nosodochium veheretur, ibique nobilissimas manus scetidis ægris curandis admoveret: si hæc, & ejusmodi consueta fuere SS. Gallicani, & Elisabethæ, tum Regina Lusitanæ, tum Ducissæ Thuringiæ, item Radegundis, Placillæ, Mariæ Oegniacensis pictatis officia; nos Purgatorii nosocomium, ægrosque longè deterius habentes, faciliusque juvandos, an negligere poterimus? Præsertim cum & captivitate miserimâ, eadem via ac ratione solvere liceat, & in optatissimam libertatem asserere. Certè si non visitasse hujus vitæ captivos, & ægros, eosque neglexisse, æterno infelicique exilio dignum à Christo censetur: non adiisse carceres, ac nosocomium Purgatorii, quâ precibus, quâ stipe facilè per Angelos ac pauperes deportandâ (plus dicere metuo) gravi Purgatorii pœnæ subiacebit.

Potandi.

483. **I**TE igitur Angeli veloces ad gentem *expectantem*, sive ut alii ex Hebræo duplicant, *expectantem, expectantem*, nempe propter ingentem, qua conficiuntur, sitim. Nam eodem decretorio Christi judicio condemnantur, qui sitientes potare detrectant. Et verò in summis malis numeranda est sitis. Etenim experienciâ constat, & ex aurito oculatoque teste accepi, cum Aurebati quibusdam latronibus crura frangerentur, nihil illis gravius visum esse, quàm sitim: quippe quâ propter sanguinis effluxum mirificè cruciabantur. Qui etiam fuit sensus S. Emmerami Martyris, & Episcopi Ratisponensis, qui plagis confectus, & linguâ mutilarus, cum Vitalem

Præbyterum suum vidisset, collectis ad se explicandum viribus, potum petiit: quasi nihil præter sitim persentisceret. Quid autem de piorum manium siti dicemus? Sitis quidem mortalium est sensio vellicationis, potissimum in ventriculo, œsophago, & faucibus, propter defectum humiditatis, & frigidi, quòd natura animalis appetit. At sitis piorum manium est animi sensio, ac mœror ex privatione nectaris Beatorum. Ergo quantum nectari cedit humidum illud, ac frigidum, tantò sitis piorum manium acerbior est siti mortalium.

Cui igitur comparabo te, ô sacra defunctorum sitis? An siti parvi Ismaelis ob eam tantum non mortui? An siti Israelitarum in deserto commorantium, de quibus Propheta Regius Pl. 106. *Erraverunt in solitudine, in iniquo: viam civitatis habitaculi non invenerunt, Esurientes, & sitientes, anima eorum in ipsis defecit*. An siti Sampsonis cædibus mille Philistinorum exhausti: quibus patris, *Sitiens valde clamavit ad Dominum, & ait, Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam: En siti morior, incidamque in manus incircumcisorum*. Iud. 15. At Ismaelis matri statim fons ab Angelo ostensus ejus sitim explevit: Moses Israelitis aquam è rupe extudit: Sampson è mandibulâ asini fons profiliit. Heu! sitis piorum manium nullo fonte mitigatur.

Itaque meritò cum Psalmistâ lamententur hisce versibus, Pl. 21. *Arui tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhaesit faucibus meis*. Quid dicam & illud ejusdem Vatis eis convenire? *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, qui consolaretur, & non inveni. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*. Pl. 68. Quid? Idem Rex, ac Propheta sitit, nominatimque optat bibere de cisternæ Bethlemiticæ aquâ: & ecce per medios hostium cuneos, per certissima frequentissimaque vitæ pericula, quaeritur illi, & offertur illa dulcis ac limpida Bethlemi aqua: & animis perustis, atque ultra modum sitientibus vel negabitur, quo levantur; vel amara potio, sitique molestior præbebitur? Cum, inquam à filiis, ac nepotibus, aut amicis superstitibus, preces esflagitabunt, non modò oblivione, sed & inclementi repullâ affligentur. Cave, mi Lector, ab ejusmodi crudelitate: & cum etiam inimicum sitientem à Sapiente potare jubearis, amicorum manium ne sitim negliges. Maximè cum Deus ipse refocillationem istam, ita acceptam habeat, ut Isaïæ ore cap. 28. dicat, *Hæc est requies mea*.

484.

Sitis piorum manium incomparabilis.

485.

illis plangenda.

mea. Reficite lassum, & hoc est meum refrigerium; reficite, inquam, tantâ in siti, tantâque in morâ miseros manes, in hac enim misericordiâ, est mihi requies aclevamen.

## Cibandi.

486.  
Pii manes  
fament.

**S**ITIS tormento non impar est cruciatus famis, fames enim ex attractione, seu vellicatione ventriculi ob inopiam alimenti nascitur, estque ejus attractionis sensio. Et quia hominem in gravem, aut extremam necessitatem redigere potest, & ejus depulsio graviter præcipitur, ii quoque qui gravem egentium famem, dum facile licet, non levant, decretorio judicio ad orbem damnantur. Atqui & fament pii manes. Cibus enim summopere appetunt, & Ecclesiaste teste c. 14. *Non est apud inferos invenire cibum.* Vis nosse quem cibus? *Non cibus qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Pater vester dabit vobis* Joan. 6. Cibus, inquam, animæ, cibus, qui eam satiet in æternum. O cibus! ô panem multo verius, quàm illum Danielis cap. 10. desiderabilem! At quò optatius est illo pasci, eò ejus fames atrocior. Quàm enim durum omnibus illis accidere necesse est, cum univerforum Conditor det escam omni carni, & impleat omne animal benedictione, & propriâ illis beatitudine cumulet, usque ad eò ut abs illo provideatur de pabulo etiam pullis corvorum invocantibus eum, idem ipse, qui sanctarum animarum cibus est, pariterque satietas, ac beatitudo, piis manibus se subtrahat, neque audiat jugiter in fame tanta eum invocantes.

487.  
Præsertim  
sanctiores.

Quàm autem acerbius est Sanctioribus, hac Ambrosia privari! quippe quæ propter amoris vim majorem, ardentius eam appetant: quemadmodum abundantior calor nativus, famem naturalem exacuit. Nonne cum prodigo filio conqueri merito queunt, & in hunc eundem cum ipso modum ingemiscere: *quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereor!* Quid enim vetat domum illam cælum interpretari? quid, vocare multos cælum inferiorum mercenarios, cum mercedis causâ Deo famulati, cælo jam potiantur? Hi ergo sanctiores, è piis manibus sic ingemiscant, non quòd invident illi eorum fortem mensæ divinæ assidentium, cujus minister, & cibus, Deus est; sed quòd suam plangent famem eorum intima depascentem. O quid utriusque non darent, pro eâ sedandâ? Judæi quidem obsidionis suæ sub Nabuchodo-

nosor tempore dederunt pretiosa quæque pro cibo Thren. c. 1. sed illi mille hujusmodi famis ærumnas simul cum mille mundorum jacturâ libentissimè ferrent, ut cælesti illo cibo donarentur.

Ergo ô mi Lector, ô Jerusalem, ô anima Christiana, quod monet Jeremias Thren. 2. *Consurge, Lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro animâ parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Nam ejusmodi famelicis animis omnes Purgatorii anguli referri sunt: Quos misericordia Christiana, ut parvulos filios habere ac pascere debet, ac propterea nocte dieque pro iis fame quâ deficiunt, nec deficiunt, liberandis Deum precari. Et sanè sibi quisque dictum putare debet, quod idem Vates Jerosolimis miserâ illâ tempestate ab infantibus dictum enarrat hîc verbis; *Matribus suis dixerunt, ubi est triticum, & vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis.* Imo quisque Jeremiæ sensum imbibere deberet, dum sic plangit, *defecerunt præ lacrimis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terrâ iecur meum super contritione filia populi mei: Ecclesiæ, inquam, patientis, quæ militantis filia est, cum deficeret parvulus, & lactens in plateis oppidi.* Hæc enim fames, hæc mors sine morte, omni miseratione dignissima est: Sed tam vehementes animi miserantis affectus frustra exposcerem: neque his opus. Potius, ô anima Christiana, maternum in pios manes sensum exprome cum Jobo sic de se testante cap. 31. *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex eâ.* Id enim si faxis ut cum pupillis egenisque escam communices in gratiam piorum manium, suum illis quoque cibus porriges.

Quo consilio Tobias senior juniore, *Pa-* 489. *nem, ait, tuum, & vinum tuum super se-* Exemplo *pulturam Iusti constitue, & noli ex eo man-* Tobie, & *ducare, & bibere cum peccatoribus* cap. 4. *matris San-* *cti.* Ubi alludit ad Hebræorum morem, qui & Græcorum & Romanorum fuit, qui in suorum funeribus parentale convivium struebant: non quia animæ cibo corporeo vesci & restaurari opus haberent, quod stulta antiquitas opinabatur: sed ut amicorum, & pauperum, qui invitabantur, precibus æquè atque istâ stipe, suorum animas penis Purgatorii eximerent. Quare ab eo epulo funebri abesse vult peccatores, quippe quorum oratio apud Deum parum, aut nihil esset valitura. Quod pietatis genus hodieque Hispania sanctè observat.

observat. Et refert in illud Tobiae Gaspar Sanctius vir verè sanctus, piissimam matrem suam illud usurpare solitam, idque de more gentis, ipso die commemorationis defunctorum, ut & alia officia misericordiae in pios manes, quæ cum in gratiam Hieronymi fratris mariti obiisset, ipse illi non dormienti, sed vigili, claraque in diei luce, post octo circiter ab obitu dies, lætus & alacer visendum se præbens, tam celerem suam è lustralibus flammis liberationem acceptam ejus precibus retulit. Ergo & tu, ô anima Christiana, escam pauperibus largire in gratiam defunctorum. Hæc est enim sacra, & maximè probabilis magis, pauperes præsentis pascere, ut pii manes absentes nutriantur, multò efficacior, & certior illà profanà, ac verè diabolicà, quam spurii quidam medici tradunt, jactitantes unguentum sympathicum vel armarium sanguini aut thoraci hominis læsi admotum, posse hominem absentem sanare: aut scalpellum alterius imagini infixum posse ipsummet hominem lædere. Hæc enim, & ejusmodi, si quando accidunt, dæmonis ope accidunt, quam Deus infinitis modis potest infirmare. At cibus aliaque eleëmofyna ritè egentibus collata procul dubio defunctos alit, vel spe Numinis celerius intuendi, vel ipso Numinis intuitu, in quo eorum esca, seu beatitudo, quâ satientur, consistit, juxta illud Prophetæ Regii Pl. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Redimendi.

490.  
Obligatio  
redimendi  
captivos.

QUARTUM misericordiae corporalis opus est redemptio captivorum, judicatum à Christo Matth. 25. Cum Justis in supremo judicio ait, *in carcere eram, & venistis ad me.* Quibus verbis non sola captivorum aditio significatur (nam & tortor eos adit) sed misericordiae conjuncta: neque sola visitatio verbis benevolis contenta; sed efficax, & sincera juvandi, atque adeò redimendi captivos voluntas innuitur; cujus cum neglectus supplicio aeterno damnetur, constat redemptionem non consilii esse, sed præcepti: An verò justè, & ex culpâ suâ; an verò injustè, & citra culpam quis carcere claudatur, parum laborat, aut caritas, aut misericordia; alioqui enim numquam vel hæc, vel illa ad redemptionem obligaret, quia ut plurimum constat captivos ob aliquam suam in Republicam noxam attineri, nec unquam nobis certum esse potest, non ob aliquam in Deum culpam ita plecti, in dubio autem an obliget non obligor: ac proinde

numquam ad redemptionem obligater.

Cum ergo comperta sit lytri captivorum obligatio, pariter compertum est defunctos ab iis, qui facillè possunt, redimendos esse. Quis autem id non possit? Enimvero & is qui eos attinet, illud exposcit, & quod mirum est, lytrum à se collectum ac de suis promptum thesauris, id est, cumulum satisfactionum suarum cuique mortalium expositum esse voluit, idque à nobis tantummodo exigit, ut accipiamus, ac defunctis assignemus. Quod si illum, qui pecuniam sibi ad quæstum faciendum traditam desidem atque otiosam reliquerat, in carcerem detruxit, atque *in tenebras exteriores, ubi est fletus, & stridor dentium*; quid eo faciendum arbitramur, qui lytrum Purgatorii sibi concredidit per desidiam captivis redimendis non impenderit? Nam prior ille quidem sibi duntaxat, ac domino nocuerat: hic verò etiam miserimis manibus, quos cum posset ac deberet liberare è flammeo carcere, cunctatur. Quàm satius piorum hominum misericordiam imitaretur in redimendis hujus vitæ captivis, quorum calamitas ad purgandarum ærumnas animarum nulla est, frequenter exhibitam!

Certè R. P. Vincentius Carafa, Soc. Jesu septimus Generalis, ac sui seculi lumen, præclarum hujus generis exemplum, pariterque abdicationis commodorum suorum rarum facinus edidit. Quondam enim æde nostrâ Neapolitanâ flammis cum ingenti jacturâ deformatâ, cum sibi à Prorege copia certi alicujus rei è carcere eximendi facta esset, unde non minus quater mille aureis colligi ad ejus reparationem posset, grates quidem egit pro tam munificâ humanitate; sed de exemptione nihil ultra non modò locutus, sed nec sibi in mentem venire passus est; donec Prorege Circumcisionis Dominicæ festa luce ædem illam ingresso, ultroque mentionem condonationis illius ingerente, Vincentius, *Quando*, ait, *Excellentia tua, aliquem reum mihi donare dignatur, hunc peto* (pauperrimum nominabat, cujus captivitas familiae suæ non maius incommodum, quàm periculum creabat) attonitusque Prorex tam heroicâ caritate, miserum eodem ipso die, ære alieno ac carcere liberum ei misit, lætissimum profectò, sed an Vincentio redimente lætorem, incertum. Hæc igitur imitanda misericordia est, & ita quidem ut commodi nostri ac satisfactionis respectu minus, quàm studio lytri animatum persolvendi dicamur. Aliàs enim nobis, aliterque prospicere in promptu erit, ut postmodum exponemus. Id saltem

491.  
Respicit  
defunctos.

492.  
Exemplum  
R. P. Carafa.

saltem studendum sedulo, ne contra misericordiam ac Christi legem, Christi satisfactiones, quas in manu habemus, piis manibus parum utiles esse patiamur: Væ enim nobis, si eius sanguis, vel sic malè effusus, ac neglectus ad Deum de terrâ clamet.

Vestiendi.

493.  
Nuditas  
piorum  
manium.

ACCEDIT enim ad horum miseras, non minima ex iis nuditas, quàm gloriæ cælestis privationem intelligo. Et enim gloria illa non uno in loco sacrorum Codicum vestis nominatur. Hinc illa Apoc. 3. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo eum de libro vitæ.* Et de viginti quatuor senioribus c. 4. refertur, *Supra thronos, viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Eius igitur vestis privatio nuditas est, cuius duplex est malum. Nam ut vestis duplex est usus, nempe tegere quæ natura occulit, & frigus arcere; ita gloria cælestis horrenda per se crimina quodammodo tegit (quatenus eorum plenissimam veniam demonstrat, & pudorem omninò tollit) & arcet insuper omne animæ frigus: atque ad eò ejus privatio, nuditasque, & pudorem piorum manium, & frigus amoris designat.

494.  
Graviss.  
sua.

Atqui pudor ille acerbissimus est, ut prius vidimus, maximè cum non improbabile videatur cujusque noxas, saltem præcipuas, universis, aut certè compluribus manibus esse perspectas. Cum enim consimilis cognitio non levis sit damnatorum pœna toties à Vatribus jactata, piis quoque manibus eam tribuere, rationi consentaneum est. Quemadmodum enim inter homines fieri assolet, ut nemo publica pœnâ plectatur, priusquam ejus crimina præconis voce divulgentur ad Justitiæ authoramentum: ita decere videtur, ut tormentorum purgantium causâ palam innotescant. Cum igitur pudor piorum manium ex privatâ noxarum notitiâ semper oculos mentis vulnerante, inter gravissimas pœnas recensetur, ex publicâ omnium cognitione quàm erit intolerabilis! Isaias quidem c. 20. gravissimam Æthiopum ac Ægyptiorum calamitatem vaticinari atque exprimere volens, ambulavit nudus & discalceatus in signum pudoris eorum: Sic enim, inquit; *Minabit Rex Assyriorum captivitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopia, invenum, & senum nudam, & discalceatam discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.*

ii. Sed quàm acerbior ignominia piorum manium (quos Ægyptios propter mundi amorem, & Æthiopes propter noxarum atrocem dicere licet) in sua illâ Purgatorii captivitate nudos apparere omnes omnibus, suorumque criminum turpitudinem discoopertam esse. Quàm durum illis accidit, quod olim prædixit Vates Ezechiel c. 6. Judeis Dei nomine. *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es, & omnes, quos dilexisti, cum universis, quos oderas, & congregabo eos super te undique, & nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam.* Illi enim quos dilexere & quibus olim dilecti fuere miseri manes, vel parentes ac cognati sunt eodem carcere detenti, quorum gratiâ peccaverunt, vel etiam alii mundo olim dediti, & similia sui amatores; quos autem odere, demones esse videntur. Quàm igitur vellent Christi gratiâ, piisque operibus texisse illam nuditatem suam! quàm vellent labores suos, quos mundo demerendo multos gravesque insumpserunt, vestimento gloriæ comparando toros impendisse! Sed sera vota sunt. *Tela eorum* Isaias teste cap. 59. *non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum, opera inutilia.* Ut enim paulò ante dixerat, *telas araneorum texuerunt.* Quamobrem neque illæ valent frigus eorum arcere; non, inquam, amorem beatificum eis indere, cujus tamen inopiâ vehementer etiam premuntur: maximè cum frigus illud, ignem Purgatorii accendat, quemadmodum aqua modicè injecta ignem lithanthracis vehementius accendit.

Ergo ô anima Christiana, quod monet Isaias c. 58. *Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Cum, inquam, animæ tibi consimiles tam infelicitè nudæ sint, eas vestire ne cuncteris, ne pariter teipsum, quem non melior fors manet, despiciere videare. Vide ne sis eorum numero, quos Jobus cap. 24. divinitus castigandos prænuntiat; *qui nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, sive ut vertunt Septuaginta, nudos multos dormire fecerunt sine vestimento:* qui somnus statum purgantium animarum, quas Ecclesia dormire dicit in somno pacis, designat; homines, inquam, *quibus non est operimentum in frigore;* sive, ut iidem Septuaginta interpretantur, *indumentum anima eorum abstulerunt.* Qui enim non vestit nudum cum debet, vestem ejus sustulisse dicendus est. Vide iterum, ut te eorum miscreat qui non habentes velamen, amplexantur lapides, id est, ad consanguineos confu-

495.  
Pie regenda.

gientes,

gientes, eos ad misericordiam ut moneant, per Tutelares suos amplexari videntur, sed lapides esse, & cautium instar duos experiuntur. Vestis porrò tibi in promptu est. Audi enim prophetam Danielelem c. 4. *Peccata tua*, inquit, *eleëmofynis redime*, vel uti Arabicus vertit, *involve*, seu *operi*. Adeò ut syndonem ea vox Arabica sonet: ut eleëmofynam & vestem esse, & ad tegendum conferre intelligamus. Et verò authore etiam Chrysoftomo eleëmofyna vestis est, quæ non solum nudos pauperes operit, sed eos ipsos qui eam conferunt. Audi illum Hom. 84. in Joan. *Eleëmofyna*, inquit, *est vestis, quæ cum mortuo resurget. His vestibus fulgebunt, qui tunc audient: Esurientem me vidistis, & dedistis mihi manducare. Ha insignes facient, hæ conspicuos, hæ securos*. Ita ipse: ex quo discere est, eadem ope & operà nudos Purgatorii inquilinos vestiri gloria posse, & ipsos, qui vestiunt, & opitulantur. Ergo iterum hortor, ac moneo, ut quod Tobix erat familiare, quod ipsi quoque impii Samaritæ Judæis captis ac nudis præstiterunt, quod hodieque à plurimis in longè leviori faciliorique nuditate propensè præstatur, nudis manibus vestem præbe. Alioqui extat Regis Prophetæ vel imprecatio, vel certa potiùs denuntiatio pænæ in hujusmodi avaros, & immisericordes, *ut induant maledictionem sicut vestimentum*, & quod inde sequitur, flammeo amictu, saltem in Purgatorio, circumdentur.

Hospitio excipiendi.

496. Pii manes peregrinantur à domino.

VENIO nunc ad penultimum opus misericordiæ corporalis, verbo, *Colligo*, versus præcedentis intellectum, & ostendo pios manes peregrinos adhuc esse, & hospitio à nobis excipi posse, & debere. Licet enim non nesciam illos terminum viæ meritorix, & quæstuosæ attingisse: tamen exploratum est nondum Patriam tenere, nondum obtinere ac possidere Deum; atque adeo adhuc peregrinos esse. Sic enim argumentatur Paulus 2. Corinth. 5. *Peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem*; quasi dicat per fidem ambulamus, & non per speciem, seu per speciei ac faciei divinæ visionem; igitur peregrinamur, & quidem à Domino. Itaque Apostolo authore, Patria nostra, Dominus; & patriæ introitus, Visio beatifica. Cur ita? si quidem adagium illud attendamus: Patria ubi est benè: fatis liquet optimè Cœlitibus cum Deo, & in Deo esse. Verum pa-

tria propriè est ager aut oppidum, unde orti sumus. Deusne oppidum? An ex Deo orti sumus? Omnino Deus oppidum, & frequentissimum. Nam in eò Divi omnes, & Sancti mortales degunt, & artem suam exercent, artem, inquam, cognoscendi illum, amandique. Oppidum est clausum improbis, patens infontibus, dives & opulentum mercibus omnis generis, nec quidquam ad vitam pertinens, aut ad vitæ commoda potest in eo desiderari. Et nos, & pii manes ex eo oppido orti sumus, juxta illud Joannis c. 1. de justis: *ex Deo nati sunt*. Nam ex eo, & in eo vitam, non naturalem modò, sed & supernaturalem fortiti sumus: quod enim factum est in ipso vita erat, quatenus in idæis divinis inerat. Igitur cum ad Deum per visionem beatificam nondum redierint pii manes, peregrinantur, & cum primum redierint, per eandem in ipsamet intimè intrabunt, ibique degent, adeò non tantum patria illorum, sed & domus paterna, Deus est.

497. Hospitia illorum.

Cum igitur peregrini hospitio excipiendi sint, & illi aliquo sunt excipiendi. Nec enim objicias miseros Purgatorio claudi, nec aliò divertere posse. Primum enim deduci inde in patriam, atque in paternam domum induci à nobis possunt, atque adeò debent. Deinde si quod adhuc impedimentum viæ cælestis illis superest, interea dum tollitur, excipi in domum nostram, ac relevari possunt. neque opus est ut migrent Purgatorio, quodque, non paucis obtigit, apud nos purgentur, ut idem criminis locus sit & pænæ. Aliud illis hospitium, & alia ratione illis paratum volo. Age visceribus illos nostris, & cordis medio excipiamus. Illa misericordiæ sedes, hoc amoris palatium est; proindeque miseri in illis, amici in hoc sunt collocandi; utrumque enim nomen piis manibus convenit. Ita misericordia lavabit hospitibus illis pedes affectuum, & vulnera curabit sauciis, *infundens illis oleum & vinum*, exemplo pii illius Samaritani. Amor autem quo ferventior, eò magis æstum illorum temperabit. Ignis enim ille Purgatoriæ flammæ ac calori naturâ adversatur. Neque defunt utrique vituli, quos Abrahami imitatione, dum Angelos, aliosque de more in tabernaculum suum excipiebat, in geniales epulas advenis mactent, Nam *vituli labiorum confitentium nomini Domini*, semper illis in promptu sunt. Et illos vitulos appetunt hospites isti, illis lubenter vescuntur, neque lectus ad quietem deerit. Spes nempe aderit accelerandæ liberationis, in qua spe Davidis

vidis instar Psal. 4. *dormient, & requiescent.*

498.  
Iis excipi-  
endi.

Vos ergo ô Christiani, quod Deus per Moysen præcipit Hebræis Deut. 10. *amate peregrinos illos: quodque Jobus fecisse se memorat, dum cap. 31. dicit. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* sive ut ex Hebræo, Septuaginta, & Vatablo verti potest, *Ostia mea omni viatori patuerunt,* & vos piis manibus in commune præstare. Hanc enim hospitalitatis rationem ab Abrahamo Jobus, dignissima ejus soboles, didicerat: & vos discere debetis. Sic namque de Abrahamo l. 1. c. 5. Ambrosius. *Præsto est adveniantibus, & itinera explorat, & adest non quarentibus, & rapit prætergredientes.* Quid recentia memorem? Romæ, Hospitium SS. Trinitatis prope pontem, qui Sixti dicitur, quandoque Jubilæi tempore unâ nocte numeravit hospites quindecies mille, & si rationes totius anni subducas, invenies hospitii exceptos fuisse quingentes mille. Item Romæ est Hospitium pauperum Sacerdotum peregrinorum, in quo Collegium quoque est hominum ad propagandam in universo terrarum orbe fidem se parantium, & Congregationi Eminentiss. DD. Cardinalium à Gregorio XV. commissum. Sunt & plurima nationum Xenodochia, & hospitia, Teutonum, Hispanorum, Lusitanorum, Ungarorum, Bohemorum, Suecorum, Vandalorum, Gothorum, Scotorum, Longobardorum, Polonorum, Britannorum, & alia. Ut quispiam non falsò dixerit.

*Hospitibus mater, natis urbs Roma noverca,  
plena dat externis ubera, sicca sub.*

Vide Theodorum Amydenum de pietate Romana P. 1. cap. 1. Quod si vivis excipiendis tot Xenodochia in unicâ urbe constructa sunt, mortuis haud paulò egentioribus, cum multò faciliùs exstrui possint, exstruenda. Semper enim hospitalitas propria hominum, & pars humanitatis habita fuit, & contra inhospitales, crudeles, ac feri pro iisdem accepti. Notus est Busris, quem Pineda eundem censet cum Pharaone, qui omnes Hebræorum in Ægypto peregrinorum masculos recens natos tempore Moysis in Nilo submergi jussit

*Quis namque Euristhea durum,  
Aut illaudati nescit Busris adis arai?* Georg. 3.

Notus Faunus Rex, ac Mercurii filius, qui Plutarcho teste in Paralellis Patri hospites immolare solitus erat. Phalaris item Agrigentorum tyrannus, qui hospites torquere consueverat: & quicumque demum hospites finibus suis pellere soliti

sunt, propter efferatam inhumanitatem communi omnium mortalium execratione digni censentur: quale igitur erit pios manes corde suo excludere, in tanta hospitii tam facilis necessitudine? Quamobrem quisquis humanus, imò, quisquis homo, nedum Christianus, videri voles, hanc laudatissimam hospitalitatem exerce: & parem, imò majorem, ab eis humanitatem exspecta.

### Sepelendi.

**D**ENIQUE iis etiam sepulchrum parandum est. Est enim hoc postremum misericordiæ opus: nequidquam reclamantibus hæreticis, quos sacræ literæ evidenter confutant. Tum quia & Galaditas collaudat Rex Hebronis David ob sepultum Saulem: & à frequenti mortuorum sepultura Tobiam Seniore Raphael Archangelus commendat, & ipse Christus Magdalenam corpus suum in sepulturam ungentem, contra principem hæreticorum Judam defendit. Et ratio eisdem convincit, sive quòd animæ adhuc in se, & in hominum memoria viventi, miseræ genus est corpus suum jacere insepultum, ut ex omnium Gentium non barbararum sensu ac moribus compertum est; sive quòd Vaticanis Prophetarum, & legibus Cæsareis ac Regiis jactura sepulchri in poenam criminis statuitur, & à reis inter maximas censetur. Porrò non corporatù pecto sepulchrum, quod corporibus defunctorum debetur: sed spirituale, quippe quod animis. Etenim & animæ eorum mortuæ sunt non Deo, ut anima divitis Epulonis, quæ propterea *sepulta est in inferno*; sed peccato, cui vivere amplius nequeunt. Itaque si de mortalibus verè dixit Paulus col. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo,* jure potiori de piis manibus dicendum est.

At ubi, & quale sepulchrum iis parandum? Enimvero cum, ut sæpiùs dicere oportuit, Numinis filii sint, ipsique Cœli Reges, idque jure inviolabili, magnificentissimum esse necesse est. Sic enim Ægyptii Reges, & Arabum Principes pyramidalis sepulchro condebantur, constante ex Arabicis lapidibus, ut scribit Plinius l. 36. c. 12. & corpore priùs Arabicis liquoribus medicato. At Salomon Davidis Patris mausolæo multam vim auri, Theodora autem Honorii Imperatoris conjux, plurimas ac pretiosissimas gemmas suo inferri jussit, quæ non ita pridem Romæ, ad ejus cadaver repertæ sunt. Igitur piorum manium

499.  
Sepulchri  
parandum  
etiam piis  
manibus.

500.  
Magnifi-  
cum scilicet  
cor  
Christi.

manium sepulchrum, & magnificentum, & locuples inveniendum est. Neque verò est, cur diu queratur. En ecce cor suum exponit Christus, animarum Redemptor, idemque Custos. Huic ergo altè infodiendæ illæ, huic inhumandæ, huic, inquam, commendandæ. Est enim cor illud, illud sepulchrum magnificentissimum juxta & opulentissimum; quippe in eo latent omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Est etiam myrrhâ primâ, & aliis refertum aromatis. Est & pyramidale, versus cœlum tendens, ut animas cœlo inferat. Si manum moves ad sepeliendum, suam adhibebit Deus, qui carissimas sibi & ipse illic locare gaudebit, ubi & olim Moysen sepelivit. Tu quoque sepeliendo namiam canta, & funebri laudatione, seu oratione eam prosequere; ego tumulo titulum hunc inscribo.

*Hic jacent*

*In corde divini Sponsi, Sponsa:  
Vbi melius?*

*Vruntur tamen heu! purgantibus  
flammis. Quia vitæ sordes Salva-  
toris aquis cum gaudio eluere ne-  
glexerunt.*

*Quid luctuosius?*

*Ast etiam cœlo exulant Regina  
cœli: Moritura si mori possent,  
expectatione nuptiarum Agni:  
Quâ tamen solâ vivunt.*

*Quid miserabilius?*

*Tu ergo, ô Viator, benè illis pre-  
care, vitam animis cœlestem, &  
Sponso solatium paries & quie-  
tem*

*Quid jucundius? Quid illustrius?*

501. Interea humationi tam sanctæ, tam ex-  
petitæ totus insiste: Sic tu in corde JESU  
Hinc inhu- mationi in- cumben- dum.  
vives, & vives ipsius spiritu ac vitâ. Et  
verò si Tobias etiam propositâ morte ab  
officio sepeliendi mortuos non desistebat:  
si relicto prandio, missisque cæteris, eos  
queritabat: Si Romæ celebris est Sodalitas  
Pietatis; quæ quos per urbem defun-  
ctos, aut Tiberi mersos comperit, sacro  
loco condi curat, non sine honestis exequiis:  
adeò ut nec imbres hyberni, nec

æstivi calores, pium institutum funus pro-  
sequendi, vel in minimo remorentur: Si  
Bethuniæ in Arthesia, itemque Benurici,  
pago juxta Bethuniam, Sodales charitatis  
(sic enim vocantur) etiam peste con-  
fectos ex instituto sepulturæ mandant: te-  
metipsum testor, quisquis hæc legis, an fas  
est nostros hosce mortuos tam facili, tamque  
amabili sepulturâ privare? non est profectò.  
Ergo huic sancto pietatis officio vacemus,  
Christo, inquam, commendemus pios  
manes ex animo, nec semel, nec bis, sed  
quotidie, sed sæpiùs per diem, perque no-  
ctem, dum expergiscimur, memores utri-  
que quietis nostræ, ac illorum, & discrimi-  
nis lecti utrorumque, eos in Christi visce-  
ceribus voto ac prece collocare studeamus:  
Et erit sepulchrum eorum non glo-  
riosum modò, sed & illis jucundissimum.

EPILOGUS.

*Quod sit piis manibus, sit  
Christo.*

POSTREMO quemadmodum paræ-  
nesis ad caritatem in pios manes, sic  
etiam hæc ad miserationem illorum non  
parum confirmatur ex eo, quòd Christus  
ea sibi facta faciendaque asserat, quæ pau-  
perum gratiâ facta fuerint. Extat enim  
illius hoc effatum maximi ponderis:  
Quod uni ex his minimis meis fecistis, mi-  
hi fecistis. Adeò ut si quod ex universis  
misericordiæ operibus, miseris ac paupe-  
ribus reddatur, aut non reddatur, Christo  
reddatur, aut non reddatur. Quam rem  
fortiter, ut solet, Salvianus urget l. 4. ad  
Eccl. Cath: Omnis enim, inquit, egestuo-  
sus pro se tantum, & in se eget: solus tan-  
tummodo Christus, qui in omnium paupe-  
rum universitate mendicet? Et cum hæc  
ita sint, quid ais, ô homo, qui Christianum  
te esse dicis, cum Christum egere videas, &  
facultates tuas in quibuscumque non indi-  
gentibus derelinquas? Christus pauper est,  
tu opes divitum cumulas; Christus esurit,  
& tu delicias affluentibus paras; Christus  
etiam aquam sibi deesse queritur, & à te  
apothecæ ebriosorum vino replentur; Chri-  
stus rerum omnium egestate conficitur, &  
à te luxuriosis copia congregantur; Christus  
tibi, & pro muneribus à te datis, præmia  
sempiterna promittit, & tu nihil presta-  
turis cuncta largiris; Christus tibi pro bo-  
nis bona immortalia, & pro malis mala  
æterna proponit, & tu nec bonis celesti-  
bus flisteris, nec malis perennibus commo-  
veris.

veris. Et credere te Domino tuo dicis, cuius nec remunerationem desideras, nec iracundiam contremiscis? Non credis igitur, sicut, iam diximus libro superiore, non credis. Hæc Salvianus, quæ illustrare licet, tum ex S. Martyrii egregio factu, qui cum leprosum offendisset in viâ, cumque in humeros sustulisset, postmodum Christum esse comperit; tum ex S. Gregorii Pontificis Maximi pietate, quæ Christum hospitio pauperis habitu excepit; tum ex aliis plurimis ejusmodi, in quibus idem Redemptor personam egentium induit in stipe corrogandâ accipiendâque, ut sibi præstari ostenderet, quod iis ex misericordia præstatur; & quod iis non præstatur, sibi non præstari. Atque ex his, aliisque hæcenus dictis tandem concludo, cum nemo sit ex Christianis hominibus, qui si eundem Redemptorem in flammis purgantibus jacentem, atque adeo eo, quo diximus, modo, captivum, sitientem, famentem, nudum, peregrinum, insepultum videret, non sibi omnino necessarium duceret, illum omni, quâ posset ope, liberare, neminem quoque esse debere, qui sibi non censeat necessum esse pios manes iisdem malis conflictatos consolari, & primo quoque tempore flammis eximere.

## ARTICULUS IV.

*Piis manibus ex pietate  
opitulandum.*

## P R Æ F A T I O.

503.  
Quid pie-  
tas.

CUM officia caritatis ac misericordiz in pios manes hæcenus descriperimus, consequitur, ut ea, quæ pietas exigit, pariter exponamus. Interest enim inter hanc, & misericordiam, quod misericordia sit virtus annexa caritati; pietas autem Justitiæ. Est enim pietas ea virtus, per quam parentibus debitum ex beneficiis ad esse, ut aiunt, nostrum pertinentibus, reddimus. Ex qua definitione, patet primùm, eam quoque à Justitia distinguï, quæ non debitum ex beneficio, sed ex contractu, & aliis ejusmodi nominibus spectat. Patet deinde, cur religionis actus etiam pietati assignentur; quippe quod ipse Deus, quem religio spectat, primùm sit & excellentissimum nostri esse principium, variisque beneficiis illud conservet. Patet præterea, cum ii, qui nobis præsentunt, iidem profint, ut benè nobis sit, atque

ut boni simus, parentum nomine hîc accipiendos esse. Et verò Naamanum famuli sui, & Eliam, ac Elisæum Prophetæ iis subjecti, patres nuncupabant. Denique patet eodem parentum nomine intelligi posse ac debere patriam, quæ utique fovit parentes, item sanguine junctos, ac cives, quoniam hi quoque vel spectant, vel nonnihil conferunt ad nostrum esse, ejusque conservationem, sive quia consanguinei ex iisdem parentibus orti sunt, sive quia civibus communis quædam sollicitudo inest se mutuo tuendi. Et quoniam liberis quoque incumbit similis cura conservationis parentum, itemque conjugibus mutue tuitionis, cum una caro facti sint, ad eos quoque pietas pertinet, ejusque vinculum. Quamobrem de filiorum primùm obligatione, tum de parentum, ac postremò de conjugum consimili pietate erit dicendum.

§ I.

*Liberos piis parentum manibus  
auxiliari oportet.*

## P A R S P R I M A.

*Quid de illa re Theologi?*

SI Theologos consulam super obligatione pietatis erga parentes vitâ functos, rarissimus est, qui de hac, utcumque necessaria salutarique quæstione, vel verbo unico agat, quantum attinet ad eorum subsidium. De funere, de sepulturâ, de nominibus parentum expungendis; de legatis testamento relictis, disertè plerique omnes, de juvandis eorum animis altum ubique silentium. Unus mihi occurrit Azor, egregius ille quidem author, qui binas super ea re quæstiunculas proponit: quas ego hîc attexo. Quærit igitur ille Tom. 2. lib. 2. c. 3. q. 8. hunc in modum: *Quidnam debeat filius parentibus præsentivita functis præstare; & respondet quadruplex pietatis officium à filio eis esse impertiendum. Primùm filius debet parentum funus cobonestare, & eorum corpora iusta ac debita sepultura mandare. Deinde pro more Christiano debet preces, & sacrificia pro illis offerenda curare. Præterea as alienum, quod contraxerunt,olvere. Postremò legata parentum testamento relicta implere. Tum citat Antoninum, & Navarrum suis locis, in quibus nihil reperiri de precibus ac sacrificiis. Exinde quaerit, an filius iure pietatis cogatur bonorum suorum*

504.  
Defunctis  
pietatem  
impenden-  
dam docent  
Theologi.

suorum iacturam pati, ut parentes liberet à pœnis Purgatorii, quas sustinent, & ita responsonem distinguit: aut magnum, & notabile est detrimentum, aut parvum, & leve. Si primùm iure non cogitur tantum bonorum detrimentum pati, nam consilio confessarii, vel pii alicuius viri conscientia potest subsidium parentibus debium differre. Tametsi enim ignis Purgatorii gravis sit pœna, filius tamen non debet tam gravem bonorum iacturam facere: Si secundum; iure pietatis debet, cum primùm commodè potest parentibus opem, & subsidium ferre. Ita Azor: quem sequuntur Filiucci tract. 28. c. 1. q. 1. n. 15. & Bonacina de 4. præcepto Decal. Dipl. 6. q. unic. puncto. 5. Quibus ego quidem assentior; Nam si quis ad pios parentum manes carere ac flammis purgantibus asserendos gravem fortunarum suarum iacturam facere obligaretur, primùm & ad filios iisdem vindicandos non impari facere oporteret, & cum pauci sint, quibus è parentibus, aut filiis adultis nonnulli vitâ functi non sint, plerique ingens detrimentum rei familiaris, pietatis causa, paterentur, & deinde Respublica Christiana sensim opibus ac viribus destitueretur. His scriptis fortè incidi in Dianam P. 9. tr. 9. Resol. 60. qui propositâ quæstione nostrâ, pro agente sententia Sayrum etiam citat lib. 7. c. 5. ubi tamen simpliciter docet filios parentibus etiam iusta, ac Missas debere; citat & quemdam Pellicionium, qui sententiam istam comprobat, tum quia filii parentibus in extremâ corporis necessitate constitutis opitulari obligantur, igitur potiùs in necessitate spirituali; tum quia eosdem parentes captivos redimere ab hostibus obstringuntur. Quibus accedit ipse Diana, responderetque Sancio, liberos parentibus, vel hæreticis, vel ad mortem fame subeundam damnatis (etsi propositâ gravissimâ pœnâ) opem ferre teneri, nisi fortassis Pater, aut proditor patriæ foret, aut hostis. Hæc ille.

PARS SECUNDA.

*Explanatio moralis obligationis ob beneficia naturalia, ac Primò ob Vitam ab iis acceptam.*

DISTINCTIO PRIMA.

505.  
Corpus filii dant parentes.

**D**UÆ potissimùm res liberorum in parentes pietatem exigunt, prior est quòd iis dent esse, ac vivere; posterior quòd bene ac beatè vivere, quantum quidem in ipsis est. Videndum itaque nobis,

ut demonstramus, primùm ea, quæ ad vitæ beneficium, deinde quæ ad naturalia vitæ commoda, tum quæ ad supernaturalia pertinent, piis parentum manibus accepta referri oportere; & vitam quidem parentibus deberi, nemo, nisi demens, non agnoscit. nam de corpore nullus dubitat, quin parentum donum sit, ex eorum corpore decisum, & in matris utero formatum, sive mater formas, ut vocant, partiales carnis, ossis, & huiusmodi efficiat, sive substantia feminis eas sibi coaptet, sive, quod opinatur Fienus, anima ipsa corporis, velut domus suæ partes ornatumque sibi conformet.

Jam & animam parentibus adscribendam esse patet, quia in causâ sunt, ut Deus eam creet, & corpori à se ultimis dispositionibus instructo ex lege naturæ infundat, & hoc est quod Siracides vult, dum liberorum quemque sic admonet. cap. 7. *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris, memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & ipsi tibi.*

Atque hæc utrique parenti communia, si quidem mater non modò materiam subministrat fœtui alendo, sed etiam effectivam illum revera attingit: Sed, ut non attingat, alia sunt, quæ filiorum in eam amorem accendant, plurima. Sunt enim uteri fastidia, partus dolores, ac periculum educandæ prolis, atque in ætatem firmiter promovendæ, curæ ac labores ingentes, quos nisi mater esset, non valeret tolerare. Quamobrem Ambrosius in 18. Lucæ: *Etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores; non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est; non reddidisti obsequia, quibus illa te gestavit; non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera; non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederet, ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa ieiunavit, tibi manducavit, Tibi illa, quem voluit, cibum non accepit, tibi, quem noluit, cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit.* Hæc Ambrosius verè juxta & eloquenter. Quibus paternas quoque curas, vigilasque adjungas licet, & hoc quod utriusque labores commendat maximè, quodque apud Xenophontem l. 2. observavit Socrates, omnes illos suscipi eorum causâ, à quibus nec ullum umquam beneficium accipi potuit, neque vel gratus animus certò potest expectari.

Cùm igitur cunctis hisce nominibus vitâ functis parentibus obstricti simus, quid eorum gratiâ nobis agendum, quid è fugiendum

506.  
Quibus, & anima debetur.

507.  
Nominatum matris cura expendenda.

508.  
Pro acceptâ vitâ quid red-

dendum  
parentibus  
defunctis.

dum sit, compertum est. Etsi quidem eorum in nos merita ob unicum vitæ & lactationis beneficium spectemus, nihil illis rependere valemus, quod par illi possit censerī. Etsi enim quidquid nobis ab eorum obitu superest vitæ, eorum manibus sublevandis impenderemus, plus illi nobis contulere, qui & antea vitam, & id quo illis superstites sumus, & grati esse possumus, dedere. Quare si meritò sperabat Tobia Senioris conjux *filium fore solatium vitæ suæ, ac baculum senectutis*, cum eum velut amissum gemeret; pii parentum manes meritò quoque à nobis exigunt hoc solo nomine vitæ nobis collatæ, ut solatio illis & fulcro simus, quo miserabilem illam longamque Purgatorii senectam facilius, nec tam diu ferant. Imò jure exposcunt, ut pro hujus vitæ beneficio, vitam æternam illis obtineamus: quoniam per Dei misericordiam haud difficilè obtinere possumus, & ita parentibus nostris forte utrisque felici, esse parentes. Quo sanè pacto verissimum erit illud Sapientis Proverb. 17. *Gloria senum filii filiorum, & gloria filiorum patres eorum*: Sive ut exponunt Rabbi Salomon, & Aben Ezra, *Avorum, & senum diadema sunt nepotes probi, & vicissim parentes probi, filiis gloriam pariunt*. Quia nimirum filii tunc verissimè diadema gloriæ parentibus imponunt, & hoc ipsum fecisse, parentes, inquam, cœlesti coronâ cinxisse, summæ illis erit gloriæ.

309.  
Suscitandi  
illi ad vi-  
tam cele-  
stem.

Quæ sanè eò erit clarior, quòd Purgatorii vita, quæ cum cœlesti mutabitur, mors continua dici potest. Inde enim consequitur hujusmodi amabili prodigio suscitatos parentes in gratiam vitæ ab ipsis quondam acceptæ. Quare si patrem matremque honorantibus vita longæva in mercedem proponitur, & si auctore Angelico Doctore opusculo septimo vitam à parentibus acceperē filii, ut milites à Principe feudum, ut scilicet eam conservarent, quamdiu illa digni essent; certè hujusmodi liberi vitam hanc mortalem semper vivere mererentur, nisi cum meliore, & immortalī foret commutanda. Et verò nonne hac ipsa dignissimi sunt, qui parentibus pro mortali miseraque vitâ ingenti scœnore rependunt Beatam, & immortalē? Vel eo igitur nomine parentes vestros demortuos sublevate, ô liberi Christiani, & tam honorificum vobis grati animi, pro vitâ ab ipsis acceptâ, pignus illis rependite.

310.  
Paganorum  
exemplum  
se-

Certè pagani ipsi parentes suos vitâ sanctos, omni, quâ poterant, ratione, vitâ, & honore impertiebant. Romani quidem

post multos funerationis ritus, parentibus <sup>quantur Christiani.</sup> justa perolvebant, epulis, Inferiis, ludis. Epulæ duplices erant, privatæ ac publicæ, in quibus etiam defunctorum laudes celebrabantur. Inferiæ erant sacrificia, quæ diis manibus inferebant, & constabant liquoribus, ac victimis, credo ut parentum manes deosque communi mensâ pascerent. Ad extremum sepulchrum ad memoriam inscriptum floribus spargebant; Et parentes quidem sex annis lugebantur, sed monumenta illustria, & anniversaria sacra eorum famam, ac laudes perennes, efficiebant. Quid de Sinensibus dicam, quos quidem nuper memoravi ad tres quatuorve annos, singulos in dies parentibus defunctis apud se asservatis, cibum, potumque offerre, non secus ac si superessent? sed nunc addo si filios abesse domo contigerit sub parentis obitum, ii que sine primarii, eo ipso in loco, ubi nuncios de illo audierint, cenotaphium illi excitare. Deinde in patriam primo quoque tempore reverti, & ritus plurimos, quos recensere longum esset, instaurare. Quid? quod etiam barbaris Americæ Meridionalis sancita moribus est Parentum memoria: Ut enim refert P. Petrus Pellepratus Relationis suæ cap. 7. suos vitâ functos aliquot diebus lugent, & si quidem mulier, aut vulgaris notæ vir obierit, in sede collocatum, fossâque altâ & angustâ situm, viridibus ramis ac terrâ operiunt, & per aliquot mensium intervallum circa tumulum ignes construunt. Si verò Dux aliquis aut strenuus bellator occiderit, cadaver illius cremant, cineres ebibunt, tribusque aut quatuor diebus continenter flent, & lugubri cantu choreisque (quod & de aliis Indis fertur) mœrorem testantur. Quod si parentum memoria, quæ illorum quædam vita est, adeò cordi est liberis, etiam barbaris; si eorumdem gloria adeò est in votis; si oblivio, insania nominatur: nos, qui plus illis sapere debemus, certè quidem beneficium vitæ ab iis collatæ clariùs perspicimus, prorsus nefas est nostros tradere oblivioni, & gloriâ vitæque cœlesti, ad quam tantopere anhelant, per negligentiam nostram velut orbare.

## DISTINCTIO SECUNDA.

### Item ob alia beneficia naturalia.

SED hæc illustriora etiam sient ex in-  
numeris aliis beneficiis intra naturæ <sup>511.</sup> limites positis, quæ à parentibus manant <sup>Aliaparentum in li-  
beros bene-  
ficia.</sup> in liberos. Ab his enim educantur, ab his litterarum studiis informantur, ad huma-  
num

nunt civilemque cultum instituuntur, ad morum integritatem probitatemque erudiuntur, divitiis augentur, ad honores dignitatesque provehuntur. Denique si verum est illud Euripidis; *Cunctis animalibus filii sunt anima*: de hominibus maximè verum est, quippe quòd ut animam, vitamque suam, illos adament, ac foveant. Quod disertè Aristoteles affirmat l. 8. Ethic. c. 12. Imò apud Quintilianum Declam. 6. Pater quispiam ita proclamatur. *O quam grave est mori, quamòd gravius, quòd ego vivo superstes filii mei!* Et memorat Tiraquellus Præfat. in l. *Si unquam* n. 8. rem hujus generis admirandam. *Accusabantur*, ait, *Pater & filius homicidii, certum enim erat alterum eorum id perpetrasse*: sed uter id fecisset, incertum. Carolus II. Imperator iussit filium suspendi; quod intelligens pater, ut filium à morte vindicaret, atque in se pœnam converteret, sponte crimen confessus, ideoque suspensus.

§12. *Non prodigenda cum salute.* Quamobrem non mirum est tantum esse parentum in filios amorem, ut plerisque necessarium sit illud Sapientis monitum Ecclesiast. 33. *Filio non des potestatem super te in vita tua.* Et post pauca: *Melius est enim, ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum.* Quasi dicat: dum spiras adhuc ac vivis, cave, ne ea, quæ possides, filio fruendâ dederis; satius enim tibi est, ut filii tui à te pendeant, quam tu pendeas ab illis; ut, inquam, illi à te necessaria postulent, quam tu ab ipsis. Cujus gnomes veritas luce meridianâ clatior est ex oblivione, & ingratitude penè quotidianâ liberorum parentes in necessitatibus rei domesticæ destituentium. Qui quidem in manus liberorum oculos conjicere coguntur ad stipem aliquam obtinendam, velut canes in manus minorum suos intendunt, dum os aliquod rodendum expectant. Sed hæc tolerabilia, si cum alia paterni in liberos amoris infania conferantur, nec enim tantum vitam hanc suam, & simul opus hujus vitæ, filiorum causâ profundunt, sed & æternas divitiis vitamque cælestem sæpenuerò perdunt, ut divitiis & honoribus eos augeant: Qua quidem re nihil dementius potest excogitari.

§13. *Filiorum amore digna sunt.* Cum igitur parentum in prolem amor tantus sit, sanè dignissimus est mutuo proli amore: cumque sese tot benevolentia notis & officiis prodant, ac maximè juventæ filiorum honestâ institutione, & partâ illis consentaneâ dignitate, & hæreditate, hac maximè ratione rectè pronuciavit Aristoteles lib. Ethic. 9. *Diis, paren-*

*tibus, ac magistris nihil par meritis posse rependi.* Nam gignendo quidem nobis vitam dedere, sed rudem, & impolitam; at probis moribus imbuendo, eam expolvère: gignendo item aliquid nobis commune cum muscis impertière, & hæc enim sunt, & vivunt; at erudiendo instituendoque virtutem, famam, gloriam, quæ ex virtute consecuta sunt. Atque hac potissimè causâ Hierocles apud Stobæum Serm. 79. *Honestissima est*, inquit, *imò divina parentum facies, & aspectus, cultusque eorum tantum fieri debet, quanti nec solis fit, nec omnium siderum, quæ gratissimas cæli choreas constituunt; aut si qua alia res istis maior à quoquam æstimatur.* Denique hac ipsâ præsertim ratione latum est illud Ecclesiastici præceptum, ejusque ratio cap. 3. expressa, *Judicium patris audite filii, & sic facite ut salvi sitis*, sive ut Arabicus legit, *O Ecclesia filiorum, obedite patribus vestris, ut hærediteris vitam perennem*: & causa redditur; *Deus enim honoravit patrem in filiis*, sive ut Tigurina versio habet, *patrem liberis honorabilem reddidit.* Quod intelligens Alexius Isaac Imperatoris Constantinopolitani filius patrem, à fratre imperio oculisque orbatum, armis in regnum asseruit, & quamquam omnes eum Imperatorem salutarent, ipse tamen nomen hoc cum imperio in patrem semper rejecit. Ita Fulgositius lib. 5. cap. 4: mitto exempla pietatis consimilia.

Quem ergo honorem piis parentum manibus redderis, o liberi! certè non magnopere laborant, an honorificè de ipsis, & sentiantis, & loquamini, aut eorum imagines colatis; aut ultimas voluntates ad eorum salutem minimè pertinentes observetis: sed Authore Hieronymo in cap. 15. Matth. *Honor in scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in elemosynis & munerum oblatione sentitur.* *Honora, inquit Apostolus, viduas, quæ verè viduæ sunt, hic honor donum intelligitur.* *Et presbyteri duplici honore honorandi sunt, maximè, qui laborant in verbo, & doctrina Dei.* Et verò ubi vulgata lectio sic habet, *qui obedit patri, refrigerabit matrem.* Eccles. 3. Syrus legit *honorat matrem suam.* Ergo id genus honoris parentibus demortuis habete o liberi: ut eorum flammam temperetis, ut inquam, Christi sanguinem, pluribus sacrificiis procuratis, in rogam lustralem copiosè fundatis: ut stipe pauperibus impertitâ patrem, matremque cælestium egentem reficiatis, quantula hic pars est hæreditatis vobis ab illis relicta! ut inedia aliisque corpus macerationibus, ac doloribus eo-

§14. *Atque adeo solacium defunctis parentibus exigunt.*

rum mœrores leniatis, denique ut sacris peregrinationibus, iter illis in cœlestem patriam acceleretis, ac viatico per sacræ synaxis piam manducationem eos muniatis. Qui enim ad omnem virtutis honestatem vos instituere, ejus institutionis fructum primi persentiscere debent, & pietatem in se vestram experiri. Ita ratum erit illud Ecclesiastici c. 3. *Qui docet filium suum, in xelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo.* Quod quidem vitæ parentis tempore contingit, quando si qui parenti invident, filium bene moratum illi invident: tum illud nominatim ratum erit, *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se; similem, inquam, non moribus tantum, & cultu civili, ut fieri assolet, sed & affectu: quoniam quod vivus, & mortuus parens summopere exoptat, mortui summas miseras levare contendet. Quare statim additur, in vita sua vidit, & lætatus est in illo, Pater, in obitu suo non est contristatus.* Quippe quia spe suâ, fructuque rectæ filiorum educationis non frustrabitur.

515.  
Saltem à  
veris filiis.

Quo quidem pacto filius verè dicitur sive ejus vocis etymon attendas: (deducitur enim à Græco φίλος, quod amantem significat): sive vocè hebraicam, qua filius denotatur, quæ pariter idem est, quod memoria: quoniam, & recordatione mentis, & parentum sublevatione fixam sibi eorum memoriam semper constare ostendet. Et verò id exigunt tot parentum labores, sudoresque toties effusi, ut liberis opes honoresque accumularent: Cùm enim in eorum accumulatione, velut mancipia filiorum se præstiterint (quippe ritu mancipiorum omne lucrum ad filios velut ad dominos referendo, adeò ut genium ipsi suum fraudarent, quo bene esset soboli) ratio humanitasque omnino postulat, ut quatenus liberi valent, filios se, & amantes, memoresque parentum opportuno auxilio præstent. Si enim Siracide auctore filii, tamquam dominis, parentibus servient, scilicet ex parentum in eos jure, omnino decet eos dominos, qui se fervorum ritu ex amore gesserunt, jam vita functos à filiis tamquam amantrissimos parentes proprio filiorum amore summis in suis doloribus omni ope ac solatio recreari.

## DISTINCTIO TERTIA.

*Ingratitudinis huiusmodi liberorum indignitas, & execratio.*

VERùm quid loquor? & quid dicere dico? Imò id planè necessarium est, nam immemores parentum vitæ functorum liberos vocare licet cum Psalmista alienos, id est, adulterinos. Rectè enim illis accommodes illud Psalm. 17. *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.* Ubi adverte alienos, seu adulterinos intelligi non naturâ, sed moribus; dici autem mentitos, quod cùm non tantùm ipsi parentibus preces & sacrificia sæpe promiserint se curaturos, ne fortè ab ipsis procurarentur, sed etiam citra omne eorum promissum id ab iis jure expectandum sit, tamen minimè impleant, simul adjice rectè inveteratos dici id est, perinde ac si consensissent, obliviosos parentum recens mortuorum: vel ut habent Hebræa, *velut folia arenia fluxisse*, succo nempe pietatis exarefacto. *Idem à semitis suis claudicasse*, id est non rectè ac fideliter procedere, sed iniquè ac perfidè. Sed atrocius in eos insurgere licet ex proverbiorum Salomonis c. 3. Sic enim ipse. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquila.* Quid enim est patrem irridere ac subsannare, quàm fortunis, quibus in commodum proliis pepercerat, ad delicias abuti, imò ad insanum luxum, & omne genus libidinum, & pro animæ ardentis levamine, quod filii hæredes, vel verbo, vel re ipsa polliciti erant, oblivionem, ingratitude, & falsa de Purgatorio dicta rependere? Quid est partum matris, sive ut ex Hebræo legunt, vel obedientiam, vel doctrinam, vel expectationem despiciere, quàm eam post varia merita ac præcepta jam demortuam omni spe solatii destituere, & justissimam opis atque stipis è tot opibus proli relictis expectationem frustrari?

Itaque tali despectionis reo, jure effodiant oculos corvi de torrentibus, id est, juxta torrentes degere soliti, ad nativam sitim ex ingenito calore ac siccitate crebris aquis temperandam. Jure illum devorent aquila de malâ cruce pendulum. Si quæras, cur oculos nominatim, & non aliud membrum lacerari velit Sapiens. Alii quidem respondebunt hunc esse corvi morem, ut cadaveris oculos primum invadat, & rostro laniet, sive propter indolis maligni-

516.  
Alioqui  
adulteri  
censendi.

517.  
Et digni  
quibus oculos  
vorant  
corvi.

malignitatem, ne cernatur, sive propter illius escae suavitatem, unde extat illud Catulli:

*Effossos oculos voret atro gutture corvus;  
Intestina canes, cætera membra lupi.*

Verò propius ad propositum dixerò merito oculos hominis parentum defunctorum impiè immemoris à corvis effodiendos, quòd eos à quibus doctrinam & officii sui ac pietatis notitiam, & tamquam oculos mentis acceperè, vel non agnoscant, vel agnoscere dissimulent, tum maximè cum deberent ad ferendas illis in acerbissimis tormentis omnigenas suppetias. Rectè etiam addiderò corvos huic carnificinæ aptissimos esse, quod *Æliano* teste l. 2. c. 49. parentes in senio deserant, & fame confici sinant præ ingluvie ac voracitate; imò & eos necent ac devorent. Quæ sævities nostros ingratos liberos bellè denotat, dum præ luxûs, & comessationum sumptibus negant sibi nummos ad sacrificia parentibus procuranda suppetere: quare & legata pia uti uti possunt, supprimunt, in diem trahunt, arrodunt, devorant, veri animarum parricidæ. Quamquam & rectè aquilas huic eorum carnificinæ exercendæ advocet idem *Salomon*, ut quia in parentes piæ sunt, & oculis præstant, hominum impiissimorum feritatem in parentes, aves piæ vindicent.

518. Ne verò hanc Sapientis sententiam ad *Qua inhu-* ingratham in pios parentum manes sobolem, per exaggerationem referre videar, *mani* *Philonem* l. de Decalogo audiamus. Cùm enim præfatus est improbos ferarum ingenium induere, *Inter eas humana specie feras, primas ferent,* inquit, qui parentes suos negligunt, utriusque partis hostes, tum eius qua Deo, tum eius qua se hominibus approbare vult. Sciant igitur se damnatos pro duobus tribunalibus, qua sola sunt naturalia, impietatis apud divinum, quod secundos post Deum Authores vitæ suæ non tractant ex officio; inhumanitatis verò apud humanum. Cui enim benefacient, qui proximos, & optimè de se meritis vilipendunt, quibus nulla referri potest gratia non inferior beneficiis? Quomodo enim natus genitorem suum poterit vicissim gignere? Quam eximiam prærogativam natura dedit parentibus numquam compensandam à liberis. Proinde indignissimum fuerit, si qui ne omnibus quidem officiis possunt gratitudini satisfacere, graventur præstare vel minima. Ita *Philo*. Audis impietatis & inhumanitatis accessit negligentiam solam parentum, eo solo nomine, quòd liberos genuerint; quid diceret *Hebræus* ille *Plato*, si cætera nomina, si educatio-

nem, institutionem, locupletationem liberorum meminisset?

Si Theologi docent liberos hæreditate privari posse, vel quòd parentes gravi injuriâ affecerint, vel quòd carcere liberare noluerint pro iis fidejubendo, vel quòd eos à testando impederint, vel quòd eorum fortunas dilapidarint; profectò gravis sævities est in parentes, flammis eos, quando facile licet, eripere nolle; gravior, nolle Purgatorio carcere exsolvere; gravissima denique, interim eorum bona obligurire: si ergo singulis hisce injuriis, & ingrati animi notis pœna exhæredationis responderet, quanta responderet universis.

Sed rem mihi propositam clarè convinco. filium parentibus contumacem lapidatione necandum esse divino judicio sancitum est; an non est contumax, qui parentum preces, & ultimas, gravissimasque voluntates, ut sui ab obitu memores essent, suâ causâ stipem erogarent, sacrificia fieri quâto cyus, & quàm plurima curarent; aliæque ejusmodi parentum mandata sæpè ab iis dum viverent, repetita, & inculcata vilipendit ac negligit? Quid verò lapidatio distat à suspendio? itaque iterum pronuncio liberos parentum manibus ingratos, & precum pro illis fundendarum immemores, & stipis, Missarumque ab iis præscriptarum negligentes, dignos esse, quibus corvi oculos effodiant è malâ cruce pendentibus, & membra aquilæ, aliæque feræ dilanient ac devorent. quod judicium si æquo severius arbitraris, recordare purgantes pœnas quæ saltem iis debentur, suspendio ac morte longè graviore esse.

PARS TERTIA.

Obligatio ob beneficia supernaturalia.

521. POrro si pro naturalibus bonis, liberi parentum manibus adedò obstricti sint, quanta ipsorum obligatio existet ex supernaturalibus? Enimverò hæc illis adscribenda sunt multis de causis. Quis enim baptismum, quis Confirmationis sacramentum nobis procurat? Parentes. Quis mysteriis fidei Christianæ nos imbuat, quis timorem Dei nobis imprimit, quis ad spem vitæ æternæ nos erigit? Parentes. Quis nos ad noxas Sacerdoti ritè confitendas allicit? quis ad sacrosanctam Synaxim deducit? quis orationis usum persuadet? Parentes. Denique si rectè rem expendere velimus, comperiemus & progressum, & exitum salutis nostræ, magnam partem illis adscribenda esse. Etenim Christianæ educationi primùm assiduas pro filiorum salute

salute preces licet adjungere. Certè R. P. Vincentius Carafa Soc. Jesu, vir eximie sanctitudinis testatur sese à matre sua Maria Carafa non tam mundo, quàm Deo editum, ejusque precibus felicitatem omnem suam acceptam refert. Et ego pauperulae matris meae orationibus patientiae, & menstruae quolibet caelo stationum Christi per complures annos supra moenia urbis Insulensis lustrationi, meam Religiosi ac Sacerdotis sortem, quam omnium maximè expectendam cenleo, jure ascribo.

522.  
Multipliciter  
ratione.

Et verò parentum pro liberis vota pro-nis Deus audit, sive quòd vehementiore studio concipiuntur, sive quòd liberi eorum portio sint, & quemadmodum propensius quemque pro se orantem exaudit, ita & pro sui parte: sive denique quòd ipse Deus prolis curam parentibus commiserit, commendatitque, qua cum rectè perfunguntur, decet ipsum optatos curae precumque fructus iis concedere. Nihil dico de bonis eorumdem parentum exemplis, quorum magna omnino vis est ad inspirandum virtutis studium, tum quòd facilior est imitatio eorum quos diligas, tum quòd paterna autoritas virtutum illicium auget, tum quòd frequentia, & quotidianus conspectus pietatis ac devotionis paternae, dulci quodam impulsu ad eam sequendam velut adigit. Nam si antiquae majorum ceræ non modico sunt ad eorum imitationem hortamento, quid intuitus viventis adhuc splendentisque virtutis? His adde optimam Numinis in parentes probos voluntatem ad eorum liberos, quippe ipsis carissimos, sese, suaque beneficia porrigere, hisque pariter suam impertiri benedictionem. Quare de viro probò Regius Psaltes Psal. 24. *Anima*, inquit, *eius in bonis demorabitur, & semen eius hereditabit terram.* Item: *Dominus in generatione iusta est*: Quod intelligentes Raguel, & Gabelus viso Tobiae filio bene precantes, causam bonae precationis hanc addebant, quod *optimi parentis esset filius.*

523.  
Igitur de-  
functis de-  
betur levan-  
tamentum.

Cùm ergo parentes nostri Christianam educationem, piisque monitis, & initii, & progressus, & felicitis exitus vitae nostrae melioris, ac Christianae fons & causa merito dici possint, nunc maximè patet Aristotelicae sententiae veritas, nihil illis par rependi posse. Certè quidem omninò exigit ratio, ut pro parto nobis caelestis gloriae jure, viaque ad illam multiplici viatico munita, nos illis in via termino positus, aditum ejus acceleremus; exigit, inquam, ut pro precibus assiduis preces, pro piis

exemplis, fructus nostrae pietatis reddamus: & pro benedictione divina eorumdem respectu nobis impertita, optimè illis & velimus, & faciamus.

Quid enim? Polyarchum ferunt canes, & gallos si quibus delectatus esset, mortuos convocatis ad funus amicis publicè extulisse, splendideque sepultos honorasse erectis ad sepulchra columnis insculptisque epitaphiis. Et nos parentibus nostris, qui immensae caeli voluptatis aeternum duraturae suavissimos fructus nobis pararunt, vitam functis solam ingratitude rependemus? Corvus Romae, quod Tiberium Caesarem Drusum, & Germanicum, totum denique populum Romanum nominatim, ac bellè salutarisset, cum à nescio quo interceptus esset, operosis exequiis, & solemni funere, praeeunte tibicine à duobus Aethiopibus elatus, ac sepulturae traditus est: & parentes nostri toties de nobis optimè meriti, quibus ad laborantibus nomen illud novum, atque optabilissimum filiorum Dei obtinimus, cum primùm vitam excefferint, tamquam ignoti, atque extranei à nobis deserentur? Denique si Alexander Magnus Buchephalo duxit exequias, urbemque ejus nomine construxit, quod & se diutulisset, & alterum sefforem pati nolisset, quoties commodis animae nostrae serviere parentes nostri, quoties gloriae caelestis nobis comparandae desudant? & nos cum gloriae illius possessionem facili precum atque eleemosynae pretio emere illis possimus, an negligemus? Sed pudet me ejusmodi comparationum; pudet amantissimos vitae nostrae, & naturalis, & supernaturalis authores bestiis multò deterius haberi.

524.  
Ne ingra-  
tiores si-  
mus quàm  
pagani in  
bestias.

Audietur, opinor, æquioribus auribus contentio cum Cimone quodam, qui totam antiquitatem pietatis suae prodigio rapuit. Cùm enim illius pater ob peculatus crimen in carcerem compactus esset, illicque vitam functus, Cimon ipse, ut parentem sepulturae honore impertiret, paternam in se vincula transtulit, & illius cadaver sui ipsius spirantis valentisque pretio redemit. Quam igitur turpe homini Christiano patrem, matremque, à quibus, non qualem hauserat Cimon à parente vitam, tartaro velut destinatum, sed immortalem ac beatam nobis procuratam esse novimus, in ergastulo lustrali deserere, & auxilio nostro tamquam indignos destituere? Quamobrem piis liberis alia omnia cogitanda. Nam si proficis, ac paganis impietas in parentes vel solius naturae instinctu omnibus diris dignissima visa est, à quibus tamen non nisi naturam, ac naturae

525.  
Aut Cimon  
in patria  
pagani ca-  
daver.

dotes

dotes acceperant, quàm execrabilis cenferi debet ea, quæ in parentes Christianos admittitur, quibus jus vitæ cælestis tot nominibus debemus? Et si digna est, quam detestemur, quantopere detestanda illa; quæ in demortuos sese prodit, aded utique infælices, aded opis nostræ egentes, & opis quidem nobis tam expedita?

526.  
Gersonis  
ethopeia  
matris è  
Purgatorio

Denique pro me, & parentibus nostris perorat Joannes Gerson, ille celeberrimus Academia Parisiensis Cancellarius, qui matrem quamlibet è flammis expiaticibus filium sic alloquentem facit. Chare fili, ait mater, quæ est in affligenti carcere Purgatorii, in pœnis, & tormentis, chare fili mi, cogita de me, intueri me, audi me, sicut manus & Justitia Dei est super me posita, quæ jure me tenet in hoc igne, & in hac flamma, & in amarissimâ afflictione: Accede & propera, chare fili mi, qui prius eras cordis mei gaudium, festina, succurre mihi, ut me trahas, & liberares de amarissimo hoc tormento, graviore, quàm lingua possit exprimere, aut cor cogitare; & si excusationem quæras, ac sumas te non posse venire ad me, certè potes, in quantum mihi opus est: non postulo, ut ad me corporaliter advenias, hoc fieri non potest, benè scio, sed advenire potes per bonam cogitationem, per piam considerationem, aut status mei memoriam, & liberare potes, ac trahere potes me miseram captivam, me pauperem tuam matrem, quæ nunc posita est, & dejecta in omnem afflictionem. Te ergo voco audi me, veni ad me, libera me: Et si quæras, quo pacto me liberare debeas: dico quòd erit faciendo pœnitentiam pro me, orando Deum pro me in corde humili, & lugenti, plora pro me, chare mi fili, plora in devotâ oratione, & tibi assero, quòd aqua lacrymarum si pura sit, & munda, sine immunditia peccati mortalis, omninò extinguet, vel magna ex parte magnum ignem, quem sustineo, qui me cruciat, & urit. Heu! dulcis mi fili, poterisne recusare afflictæ huic matri unam guttam aquæ, unicum lacrymam, quæ in tantum ei prodesse potest, doloremque ejus alleviare? Ego sustinui tantos dolores, & mala pro te, te pariendo, nutriendo, & exaltando; feci pro te, & emisi multas lacrymas, copiosos quoque gemitus. tibi benè est, te quæso, non mihi desis in ultimâ hac necessitate; in necessitate probatur amicus, Ora pro me, habeas cor lugens pro me, nihil quæro, quod non possis; Heu me miseram! si filius quem concepì, portavi, & genui, mihi recusat, & mihi durus est, oblivisciturque, quis mei memoriam habebit? O Deus qualis mi-

seria! Quid faciet pauper hæc tua captiva? quò se vertet? undè vocabit subsidium, si proprius filius ei denegabit? hæc, & similia Gerson Sermon. de defunctis, quæ utinam lectorem commoveant:

PARS QUARTÀ.

Exempla caritatis filiorum in Parentes Defunctor.

527.  
Exempla  
virorum

ITAQUE, quicumque filii, quicumque Christiani audire volunt; horum præsertim quæ dicta sunt respectu parentum demortuorum patronos hoc in genere se præbent, & Augustinus quidem notus contentus Numen piissimæ matri suæ Monicæ propitiassè, factis ad aram sacrificiis, ita pro illa precatur 10. Confel. cap. 13. *Ego itaque laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper piis eius actibus, pro quibus tibi gaudeas, gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te: exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dextram tuam te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimississe debita debitoribus suis, dimitte illi & tu debita sua, si quæ etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte, obsecro, ne intres cum ea in iudicium.* Ita ipse: & lib. earumdem Conf. 9. cap. 13. *Inspira, inquit, Domine Deus meus, inspira servis tuis, fratribus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus voce, & corde, & litteris servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad aliam tuam Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum, nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria.* Sic Augustinus. Bernardus quoque matrem Aleidem, licet cum laudè raræ virtutis, & munificentæ in pauperes vivis ereptam, recitatis quotidie septem pœnitentiæ psalmis, adjuvare non destitit. Et antea diximus Dionysium Carthusianum, virum sanctum æquè ac eruditum, parentem suum sibi inter Æthiopes binos, à quibus virgis igneis tundeatur, aliquando objectum, variis pietatis officiis eo genere tormenti liberasse. Et nota est Cantipratani historia, cui parens cum frequenti sacrificii litatione, ab eo mortuus sublevaretur, sæpissimè illius causâ sacrificabat. Quod si non faceret, appareret illico Pater tristis ac gemens, & natum officii neglecti lamentabiliter inculcabat, uti Cantipratanus ipse juratus asserit. Henricus

**Suso.** ricus etiam Suso eximie sanctimonie vir, cum parentem suum, quem piissima Henrici mater e deteriore vivendi ratione ad meliorem traduxerat, rite Sacramentis munitum decessisse cognovisset, qua precibus, qua voluntariis penis, qua sacrificiis caelo donare contendit. Et accepimus

**Fernandez.** Joanni Fernandez, homini e Societate Jesu egregie virtutis, anni spatio patrem quot diebus obversatum, precatumque, ut certa quaedam pietatis officia, quibus opus erat ad suam e carcere Iustri dimissionem, exequeretur: Quibus peractis post anni decursum ipse parens caelesti gloria fulgidus filio grates maximas rependit. Illustre quoque est quod de P. Philippo Jacquetta

**Jacquetta.** Franciscano ferunt. Cum enim puer utroque parente orbis, ad utriusque sepulchrum singulis diebus itaret, oraretque; rogatus quid, & cur ageret, *Studeo*, inquit, *patris & matris in me merita, quatenus possum, compensare.* Et vero tam pia indoles ad virtutis apicem post evasit, qua demum astris inserta est anno salutis 1455.

§ 28. **Exempla feminarum.** Jam ut ad feminas eodem pietatis studio incensas veniamus, B. Herluca cum patrem suum vitam sanctum audivisset, qua potuit ope, & opera eum purgantibus penis eripere conata, tandem ex S. Laurentio, quo utebatur familiariter, quique Herluca SS. Eucharistiae mensam adeunti comes ire solitus erat, intellexit suis supplicii caritatisque officii patrem caelo donatum: quare non esse cur de illo amplius laboraret. Porro perquam admirabile est, quod patris ac matris bono apud Deum effecit S. Catharina Senensis. Hanc enim, & corporis & animae morte defunctam utriusque vitam restituit. Illum vero Purgatorii cruciatibus profus absolvit. Cum enim eum cum morte luctantem animadverteret, obnixissime Christo supplicavit, ut bona ejus veniam parens in Caelum recta contenderet. Cumque objiceret Servator justitiae faciendum esse satis

*Ego vero, ait Catharina, faciam eius loco, en suscipio in me, qua merito ipse suo tormenta pateretur.* Neque abnuvit Christus. Statimque illa ad Patrem adhuc spirantem id laeti nuncii pertulit, eo solum in vitam divinitus retentum, ut beatius decederet. Ipsa vero e vestigio ingenti colico dolore correpta est, & deinceps ad mortem usque vehementissime afflictata. Aemula Catharinae fuit altera virgo Senensis, quam vocant Passidam, a Deo in Cruce passio. Hac patre, quem Deo genuerat, vivis exempto, statim sibi erepta miram ecstasim ab ortu solis ad occasum usque passa est: ex qua cum sibi reddita esset, iussa signifi-

**Passida.** cavit, quid sibi contigisset: nempe Patris animam ad Purgatorium se duxisse, ibique mente haesisse. Tum vero pro illius liberatione illico tam acerbis frequentesque penas ultro suscepit, tam multas preces fudit, ut eum brevi in libertatem asseruerit. Cum enim in basilicam Senensem non mente dumtaxat, sed & corpore divinitus delata fuisset, parentem sibi apparentem vidit caelesti splendidum gloria. Duobus abhinc annis, id est anno, 1580. Camilla ejus mater, a qua pessime habita fuerat, mortem obiit, cum savitiae in filiam suam medullitus eam poenituisse. Qui dolor adeo cor Passidae penetravit, ut & felicem illi mortem, & tandem caeli aditum, qua potuit ope, procuraret. Nam cum mater ageret animam, illa sibi raptata est, & cum egisset, mortuam humeris suis sublata ad Purgatorium deferre visa: ubi id solatii accepit, quod nulla istic vel impatientiae, vel murmurationis umbra apparet. Ceterum cum matrem illic relinquere coacta esset, plurimos maximosque cruciatus ejus causa pertulit, ac demum cognovit Camillam in caelum evolasse: cum eam illi Diva Virgo pone se exultantem ostendisset. Denique produco

Venerabilem Catharinam de Cardona Cathar. de Cardona. clarissimae virtutis feminam. Huic Pater vitam sanctam spectandum se praebebat, octavum adhuc annum agentem. Quare ipsa e vestigio fugit: at retinuit pater: cui illa: *Quid, ait, tibi faciam? Et ipse penas mea causa suscipe; & recepit.* Ex eo tempore cruciatuum genus omne tenella subiit: donec objectus ejus oculis parens, Justitiae divinae ab ea satisfactum indicavit: simulque ob voluntarias penas Numini perceptam esse, & in Sponsam ejus electam. Mitto de Liduina, Aleyde, aliisque nunc dicere, quoniam proprius erit alias de iis dicendi locus.

## § 2.

## Parentes liberis Defunctis auxiliari necesse est.

## PARS PRIMA.

## Theologica super eo Doctrina.

**R**UDITISSIMUS rerum conscientiae in- 529. terpres Joannes Azor P. 2. cap. 4. ubi quaesit, quae parentes filiis debeant, refert tria potissimum debere. Primum quidem alimenta; deinde institutionem in fide, religione, & bonis moribus; tum curam,

ram, studium, ac diligentiam, ut in certo vitæ statu pro conditione personæ liberi collocentur. Porro, & ipsius, & aliorum recepta est sententia, alimenta naturæ lege deberi: eaque patet ex communi etiam belluis naturæ propensione, cum & tygrides partui mansuetum immurmurent, & tenerum inhabilemque nutriant. Alimentorum autem nomine accipe tum ea, quæ ad vestitum, & lectum, tum quæ ad habitationem: imò quæ ad pharmaca infirmæ valetudini necessaria, & ad artes honestas, quibus victus paretur, pertinent. Institutionis porro necessitas ex priore derivatur. Nam generatio quidem, & nutritio hominem, sed institutio bonum hominem efficit: illa opus inchoant, hæc perficit, uti & promotio ad statum aliquem congruum, quæ velut ultima authorum nostrorum manus, & operis consummatio est.

530.  
Et defun-  
ctis auxili-  
um lege  
propria.

Neque tamen inde concludas nullam parentibus curam incumbere prolis è Purgatorio eximendæ. Quemadmodum enim si post matrimonium, aliumve statum initum, liberi alimentis prorsus egeant, ea illis subministrare naturalis æquitatis lege tenentur, ita & iisdem in Purgatorio gravissimam necessitatem patientibus suppeditas ire. Accedit quod si liberi in servitutem incidant (ut quia capti bello, vel à latronibus, aut piratis intercepti) de communi Theologorum sententia parentes ad eos redimendos obligentur, si quidem nec filius ea facultas adsit, & sine gravi parentum incommodo possint redimi: unde consequitur similis obligatio eos Purgatorii servitute atque exilio in libertatem filiorum Dei asserendi: & quis dubitat, quin, si post initum aliquod vitæ genus, aut alterius modi emancipationem, vel in corporis, vel in animæ grave discrimen incurrant, parentes strictius aliis ad illud depellendum obligentur? Pariter igitur pronunciandum est parentes ad liberos Purgatorio ergastulo, quod eorum animis gravissimum est, vindicandos propriâ quadam lege obstringi. Denique cum finis supernaturalis matrimonii, ad quem Christiani conjuges illud, illiusque usum referre obligantur, sit liberos non simpliciter procreare, sed curare deinceps ut Deum bonorum omnium auctorem æternum laudent (quem etiam in finem eos præceptis ac mysteriis fidei imbuant, oportet) consequitur non alium esse parentum curæ ac sollicitudinis pro filiis terminum, quam initium æternæ eorum felicitatis; atque adeò dum adhuc carcere lustrali attinentur, ad eorumdem curam pertinere. Po-

stremò plus parentibus, quàm aliis debent animæ post mortem, si quid precibus valeant; ergo, & tunc plus illis debent parentes, quàm alii; quoniam uti fons & origo obligationis animarum est plus à parentibus, quàm ab aliis beneficii accepisse; ita obligationis parentum erga liberos majoris caput est plus iis dedisse, nempe ut essent, & esset illis bene ac beatè. Ut enim rectè Aristoteles Eth. c. 12. *Maiorem id à quo aliquid est, habet cum genito necessitudinis conjunctionem, quàm quod ex ipso oritur. est enim eius pars, quæ est propria totius non totum partis.* ita ipse. Porro effectum esse totius partem, ita conficitur, quòd opus, ut aiunt Philosophi, contineatur in virtute causæ; Item quod, ut ait idem Aristoteles, agendo sumus, atque adeò sumus operatio, & opus; quæ ratio est, cur eos, quos beneficiis afficimus, vehementius adamemus, quia plus nostri in iis collocavimus. Cum ergo animis liberos defunctorum ad virtutem promovendis multum operæ posuerint parentes, multum in iis sibi vindicant, igitur eas multum amare, nec minus juvare, obligantur.

PARS SECUNDA.

*Moraliter expenditur Obligatio Parentum ad alimenta mortuis liberis Præstanda.*

CUM igitur hæc obligatio stet, de more nostro illustranda est, atque ut ordine procedamus, ejus vis ac magnitudo primùm ex obligatione parentum ad alimenta filiis præbenda, tum ad institutionem in fide ac bonis moribus, demùm ad honestum vitæ genus illis procurandum, expendenda. Ac primùm satis constat, ut diximus superius, pios manes cibo quoque aliisque ad alimenta pertinentibus indigere; cibo, inquam, illo, de quo Raphael utrique Tobix, *Ego cibo invisibili utor, & potu qui ab hominibus videri non potest*, Tob. 12. qui quidem cibus non alius est quàm ipse Deus, qui & Beatorum famem, & sitim satiat, at sine satierate; Cæterùm rectè manna absconditum auctore Richardo à S. Victore vocatur, dum dicitur Apoc. 1. *Vincenti dabo manna absconditum*, quia nec dici, nec fingi animo potest quàm magna sit multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Plal. 30: semperque locus est admirationi expressæ voce *man-hu, quid est hoc*, cum numquam suavitas illa possit mente comprehendi. Hoc igitur manna, hunc cibum, hunc po-

531.  
Famem  
defuncti  
filii.

tum vehementissimè appetunt pii manes, quippe quòd & per sese maximè excitet orexim animarum, & iis maximè congruat, & quòd denique in eo ingenti incendio non possint non ardentissimè eum sitire.

532.  
Duri pa-  
rentes qui  
cibum eis  
non dant.

Vos itaque patres, vos matres eorum, cum cum illis largiri possitis, per Deum immortalem, per quidquid est vobis carum, nolite denegare. Nam si pusioni inter ubera gementi crudele est lac diu differre: si pueris oppidò famentibus non sustinet nativa pietas panem negare: Si etiam passerum matres, atque hirundinum, pullis raptis, & caveà clausis escam deferunt, an sustinebitis verè de vobis, puerisque vestris, intelligi illud Jeremiæ; *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis, non ex inopia, sed ex impietate?* Verène, & hoc de vobis dicetur, *Lamiæ*, sive ut aiunt Septuaginta, *Dracones nudaverunt mammam: filia verò populi mei quasi struthio in deserto.* Thren. 4. id est *Lamiæ*, quæ Hieronymo teste belluæ crant facie humanam referente, corpore feram, mammam ad lactandos catulos pietate quadam nativâ præbuerunt, dracones item ad dracunculos alendos; & mater Judæa, mater Christiana, similis sit hoc in genere struthioni, qui dum ova posuit, relinquit, negligens ea fovere, atque ut Job. 39. c. *Duratur*, inquit, *ad filios, quasi non sint sui?* Sitne, inquam vel pater, vel mater, in suos liberos vivos ereptos tam immitis, ut cibi potusque inopes, & puellorum instar sibi comparandi impotentes destituat? Atqui hoc est minùs in suos pium esse Lamiis, ac draconibus, & tigribus; an igitur decet hoc parentes Christianos? Quid itaque de iis sentiendum, qui quòd Christus contingere non posse pro explorato habere videtur, filiis suis panem petentibus è Purgatorio, lapidem porrigunt, & pro ovo scorpionem? id est qui preces illis stipemque recusare non contenti, insuper saxeis animis pia eorum legata, etsi modica, negligunt, & cum blandam faciem iis scorpionum instar exhibuerint, facultatem iis faciendo legandi, post illorum obitum furtim, velut caudâ venenum iisdem ingentemque acerbiter inferunt, promissa legataque obliterando.

533.  
Debent, &  
alia ali-  
mentorum  
nomine.

Vestes.

Venio nunc ad alia, quæ parentes alimentorum nomine liberis debent, & piis eorum manibus præbere obligantur. In quibus quidem primum occurrit vestis, non quidem adversus frigus, sed adversus nimios flammæ lustralis ardores illis induenda: quemadmodum Hispani, aliique sub torrido positi climate adversus calores

veste se muniunt. Hanc porrò misericordia in egentes texit: hac illos tegit, & quo pauperes contra frigus munit, eodè panno pios filiorum manes contra æstum solis Justitiæ communit: adeò ut eò minus caloris sentiant, quò egeni minùs frigoris. Debetur quoque non magis vivis, quàm defunctis liberis domicilium, ac lectus, in quo requiescant. Quæ verò domus, quis lectus aptior sinu Abrahæ? non illius Judæorum parentis, sed Beatorum: sinu, inquam, æterni Patris, Patris multarum gentium, in quo sinu Unigenitus Dei per naturam, eandemque substantiam, Cœlites per amorem, gaudiumque beatificum jucundissimè quiescunt.

Domici-  
lium.

Debentur præterea ægrotis filiis pharmaca, & cura valetudinis. Et ò quanta est piorum manium ægrotatio! quàm acerba, quàm multiplex! acerbissimorum morborum nostratium sævitiam complectitur, ac multis partibus exsuperat. Et ecce tamen ægrotat Berlabee primogenitus ex Davide, *Deprecatusque est David Dominum pro parvulo, & ieiunavit David ieiunio, & ingressus seorsum iacuit super terram, sive ut habent Hebræa, & venit, & pernoctavit.* 2. Reg. 12. Et quot patres, quot matres, nummos, curas, vigilias, vota, peregrinationes ad eam ægrotis liberis obtinendam adhibent? quot sanguine, ac vitâ suâ illam emere paratæ essent? Cum vero vitâ functi conflagrant, quasi anima simul cum vitâ interiret, parcutur nammis, parcutur precibus, & curis, perinde ac si nec filii amplius existerent, nec lustralis flamma ullibi extaret; ut quicquid eorum verè dicere possit, *Oblivioni datus sum tamquam mortuus à corde.*

534.  
Pharmaca  
& curam  
valetudi-  
nis.

#### PARS TERTIA.

*Moralis expositio obligationis Parentum ad quamdam institutionem liberorum defunctorum.*

PORRÒ post alimenta liberorum, sequitur eorum in fide ac bonis moribus institutio, cujus etiam necessitas, eorum vita defunctorum curam suscipiendi necessitatem invehit. Si enim pii ac boni parentis sit per se, ac per magistros, prolis adhuc viventis rectam institutionem ac salutem sollicitè procurare, consequens est, & pro mortuæ bono, ac velut institutione novâ operam ab eo ponendam esse. Etenim cœlum velut quoddam gymnasium est ubi discitur perfectè Deum amare, perfectè laudare, perfectè cum ejus voluntate consentire. Et parentes defunctis liberis

535.  
Liberis  
mortuus  
doctrinâ  
procuran-  
da.

liberis Sapientiam ipsam divinam præceptricem, sive Verbum ipsum æternum providere queunt, ut primo visionis beatificæ momento pervideant totam essentiam divinam cum perfectionibus omnibus, & alia simul innumera, quorum notitia nunquam obliterari poterit. Quid igitur cunctentur filiis, si eos diligunt, tantum scientiæ decus, tamque nobilem Doctorem procurare? Novimus Constantinum Magnum nobilissimos quosque variarum artium principibus viris dignarum Magistris filiis suis quæsisse, & tamen Constantius in Eusebium Arianæ hæreseos fautorem incidit, & altè ipse hoc venenum imbibit. Audivimus Theodosium Imperatorem Arcadio, & honorio filiis erudiendis, incomparabilem virum Arsenium præfecisse, & idem fuit Caroli Magni studium, & est omnium parentum moratorum. Quin etiam ferunt lusciniæ pullos suos ad concinnè modulandum instruere. Si ergo tot curis, tot vigiliis, tot precibus, ac lacrymis constat rudimenta fidei ac religionis proli instillare, eamque virtuti affluere; Si parentes Augustino teste in Pl. 50. *Domestici concionatores esse debent*, & quæ verbis, quæ exemplis eos perpetuò ad virtutem adhortari, nefas est eos dum omnium laborum suorum præmium, ac fidei, religionisque filiorum mercedem illis parere licet, torpere, illosque negligere.

PARS QUARTA.

*Expenditur Parentum obligatio ad honestum Vita genus iis Procurandum.*

336. **Q**UOD idem officium patet ex obligatione eorum ad congruum conditioni suæ statum liberos promovendi; siquidem jure gentium ac naturæ parentibus id incumbit. Et verò cum David eam mente ac studio Salomoni Regnum Israelis adhuc vivens ipsi cesserit, ipsumque adoravit; cum Prolomæus Lagi filius Regem filium etiam vivus creavit, eumque satellitis instar custodierit; cum Sichemi pater se circumcidi passus sit, ut filium ad Dinæ nuptias procheret: quidni parentes similiter studerent liberos promovere ad gloriam cælestem ac beatitudinem, qui propriissimè status est, & omnium quidem bonorum aggregatione perfectus. Nam si filium, vel filiam monasterium, vel conjugium etiam cum indigno inire volentem dote fraudare non possunt, an poterunt aspirantes ad nobilissimas nuptias cum Christo Servatore, imò cum divinita-

te? Si temporarium matrimonium cum mortali contracturis primam, dum adhuc valent, hæreditatis portionem liberis transferunt, tum alteram morituri; an æternum cum divino ac immortalis sponso nubium cogitantes, non modò non portione hæreditatis (quæ sanè si peteretur, concedi deberet) sed nec stipe modicâ in dotem à Christo accipiendâ impertient? Et hic tamen mos est etiam Christianorum parentum, hæc corruptela etiam in speciem piorum: vivis liberis fiunt canales, omnia sua transfundunt, sibi nihil retinent, at mortuis exarescunt, pauperes sunt, exinaniti sunt; nihil reliquum habent. Tanti illis est posteros hac in vitâ florere, ut vix flocci fiat florere in alterâ.

Itaque cuique vestrum ô miseri filiorum manes occini potest illud, quod Ezechiel <sup>537.</sup> *Indignitas* Iudæorum genti infaustum occidit c. 16. *parentum* *Generatio tua de terrâ Chanaan, Pater* <sup>stipem</sup> *tua Amorrhæus, & mater tua Cethæa,* <sup>mortuis liberis negantium.</sup> id est, parentes tui nomine quidem Christiani, & Catholici sunt, sed revera ita se adversus te gerunt, ac si essent Chananei, & impii. Cur ita? Quia *Pater tuus Amorrhæus*, quod vocabulum, ut author est Hieronymus, Hebraicè sonat celebrem, seu multo sermone celebratum, ac famosum: famam enim hujus mundi solam curat: & *mater tua Cethæa*, id est, ut etiam interpretari ex hebraica nomenclatione licet, quæ vel insanit, vel alios in insaniam vertit: quippe quæ eandem cum patre insaniam penitus hausit, eamque transfundit in superstitibus liberos: adeo ut ea sit communissima mortalium, & nobilium maximè, aliorumque, qui sapientes sibi & aliis videntur, insania. Quæ, ut luculentius appareat, audi quid in Arthesia contigerit. Binas habebat filias vir quidam plebeius, at prædives, harum alteram rudiorum bardus & rusticus juvenis in conjugem petiit, alteram elegantiorum eodem tempore procatu est eques nobilis, formâ ac virtute virginis illectus: priorem prior obtinuit, & ita quidem, ut quia ejus rustica indoles cum indole Patris apprimè consentiebat, ab hoc hæreditatis maximam partem abstulerit. Quo audito eques ille nobilis graviter indignatus, & patrem & alteram filiam res suas sibi habere iussit. Hæc igitur voto, & fortunis frustrata, lacrymari, queri, gemere dies noctesque, donec tandem proci misericordiâ motus, ac summâ in virginem maximè ingenuam caritate, eam sibi in conjugem sumpsit. Indignaris & tu, opinor, mi Lector hæc nuncia. Hæc enim posterior puella, & merito suo, & ratione dignitatis, ad

quam

quam hoc connubio promovenda erat, ampliori dote dignissima erat: & pater ille, indigna, indignoque proco, contra fas, & præter hominum sapientum mores, favisse narratur. Ita est profectò: sed si fabella hæc bilem tibi movet, quâ demum indignatione digni sunt parentes, qui cum filias mortalibus obscuris atque rusticis nupturas dote amplissimâ locupletent, mortuas, ac Regi sæculorum immortalis collocandas, ut ad nuptias brevi perveniant, ne stipe quidem modicâ, non modo dote promovere volunt: aded ut ad opem extraneorum mendicandam confugiendum illis sit: atque aded ad illius Sponsi misericordiam. Ita ratum est illud Psalmistæ. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.* Psal. 26.

PARS QUINTA.

*Exempla Pietatis Parentum  
in liberos defunctos.*

538. *B. Borgia in defunctos liberos pietas.* QUAM melius parentem se gessit B. Franciscus Borgia, Gandiæ Dux, & post tertius Societatis Jesu Generalis, de quo hoc Andreas Scottus in ejus vitæ actis l. 4. c. 4. Summa illi animarum cura, quæ corpore solutæ purgante igne crimina expiant: ut etiam tum Dux Gandiæ assidue pro illis orarit, & liturgias, remque divinam fieri curarit: Cujus officii nomine sæpe illi animas reduces apparuisse, gratiasque egisse narrat: promississe etiam se vicissim pro eo in Beatorum sedibus precaturas. Hæc candidè ille, ut omnia, Hieronymo Natali Sacerdoti optimo narrare solitus, quem bis in Hispaniam ab Ignatio missum, commissasque illi Societatis provincias diximus. Hæc Scottus, qui deinde c. 6. ejusdem libri sic scribit. In oppido, quod Reginæ casam appellari diximus agenti, Dorotheam filiam obiisse divinitus nunciatum eo ipso quo migravit horæ momento, ad D. Claræ Gandiæ: sed nihil mutatus, animoque turbatus, quasi ad se nihil attineret. Verùm non perinde mirandum in filia morte mœstum non fuisse, quæ jam inde à pueritia virginitatem Deo consecrarat, propterea quod exilii sui terminum, ut pridem optarat, nacta esset. Illud plerique magis mirabantur, Isabellam filiam, Lermæ Comitissam, singulari matronam virtute, dotibusque naturæ præditam, non luxisse. Pintæ enim aulam Principis ingressurus, obvium habuit, qui tristem subitumque filia interitum nunciaret. Paululum itaque clausis oculis,

apertâ verò ad Deum mente orans, benèque mortuæ precatus perrexit. Rebus in aula gestis discessurus Principi Dominæ dixit; ora quæso, pro animâ famulæ tuæ Isabellæ, quam nunc morbo minimè lento, sed repentino extinctam audivi. Ad hæc illa: itane tam tristem nuncium obiter à discedente nunciari mihi oportuit? nihilne parentem talis filia mors movet amplius? Deposito, inquit, acceperam, repetiit Dominus. Reddamus itaque, ut par est, alacriter, quodque usuram ejus tam diu dederit, grati testificationem animi demus. Igitur non lugendum, cum his vitæ miseris, & corporis vinculis soluta evaserit, & in Beatorum domicilium, Dei clementiâ, ut spero, & opto, commigrarit. Domum ubi revertit, sacris pro illa operatus nullam aliam luctus significationem dedit. Hæc idem author. ex quibus vides tum Christiani fortitudinem parentis non questibus, non gemitibus liberorum manes prosequentis, sed mirâ & acceptissimâ Numini voluntatis humanæ cum divinâ consensione: tum pietatem quæ magis etiam parebit ex eo, quòd dum Catalauniæ Proregem ageret, captis sicariis, qui vias obsidebant, cum ad supplicium raperentur, eorum vicem miseratus sacrificia singulatim triginta fieri ære suo jusserit. Qui enim in exteros, & improbos tam pius, procul dubio in suos pietissimus extitit.

Patri matrem subjungo, & egregiam quidem atque hoc loco dignissimam fortitudine juxta ac pietate. Hæc illa est Domina de Fremiot, vidua D. de Chantal, post Salesii Episcopi Genebensis filia spiritalis, & sanè illius spiritu imbuta. Hæc itaque auditâ filii unici morte, pendens è cruce Christi signum corripiens, eique manus deosculans, qua possum, ait, animi submissione, tuos, ô Christe, dulcissimos ictus accipio, precorque ut filium illum meum in misericordiæ tuæ gremium accipias. Deinde preces, & omne supplicationis genus in levamen cumulavit. Ita tribus ab obitu mensibus liber Purgatorio filius emerfit: quemadmodum ex viso cujusdam fide digno constitit: conspectus enim est juvenis ille velut in putei cujusdam fundo, ad cujus fauces mater, crucis oblongæ, quam manu tenebat, extremum, filio porrigens, illum paulatim è putei fundo in altum sustulit.

540. His adjungo absimile in re simili luctus *Matri im-* genus, ut ex oppositione, quæ sit vera *portuna la-* germanaque pietas, eluceat. Gemen- *crima gra-* bat expers omnis solatii mater creptum *vant de-* filium, nec gemere cessabat Et acuebatur *functum* filium. *dolor*

dolor ex alterius superstitis ingratis moribus, atque effrenatâ licentiâ, ac fortunarum dissipazione. Quondam lacrymabundâ obversata est cohors egregiorum juvenum, lætitiâ gestientium, quos pone sequebatur defunctus ille atque optatissimus natus aquam extimâ veste complicatâ ferens. Querit mater cur aliis non se jungat. Respondit ille maternis lacrymis se gravari. Propterea flere inutiliter desineret: ac potius preces, ac sacrificia suo bono curaret: ita se prioribus accessurum. Vide Cantiprat. lib. 2. Apum c. 53. qui & hoc subjungit. Hisce verbis.

541. In villa prope Lovanium, oppidum Brabantia, juvenis quidam dissolutus & levis languore decubuit. Rogatu ergo matris Lambertus presbyter leproforum, vir pius, & zelator maximus animarum, venit ad juvenem, & eum ad confessionem peccatorum & pœnitentiam sedulus invitavit. Quo mox in multa valde contritione confesso, & non multo post mortuo, mater pro eo continuavit interpolatè jejunia, & usque ad quinque annos, quasi irremediabilibus lacrymis protelavit. Ergo ut ipsum tempus expletum est, die quadam Dominica dictus Lambertus mortuus est, & sepultus. Sequenti autem quintâ feriâ dictus juvenis manifestus apparuit matri suâ dicens, Ecce nunc, mater charissima, adjutorio tuo ad requiem transeo de gravissimis pœnis, quas pertuli pro peccatis, & mecum Dominus Lambertus Presbyter, qui me ad cognitionem & confessionem peccatorum meorum salubriter provocavit. Pro quo, & multis aliis, quos ad pœnitentiam salutis adduxit multa mercede cumulabitur pramiorum. Vide ergo, Lector, quantâ mercedis sit inscius docere, viam salutis ostendere, & ad confessionem, & pœnitentiam trahere peccatores, nec hoc quoque sine grandi mercede negaverim, viventes compati mortuis, & eos quomodocumque orationibus, & jejniis adjuvare. Ita Cantipratanus loco citato.

§ 3.

*Conjuges Superstites Defunctis  
opem ferre oportet.*

PARS PRIMA.

*Id ipsum docetur ex Theologis.*

542.  
Conjugum  
in Conju-  
ges officia.

ETSI de pietatis officiis agimus hoc articulo, tamen illi quoque mutua conjugum officia inferimus: non quidem

de jure, quia propriè pietas inter parentes cernitur; sed de more, quia conjugum amor, atque ut vocat Salviianus lib. 1. ad Ecclesiasticos, *Iugum incarnata necessitudinis*, pietatis vinculo affine est. Etenim ut parentes ac liberi inter se amare ac juvare debent, quòd filii portio sint parentum: ita conjuges, quòd una caro sint, seu *duo in carne unâ*, atque ad eò partes quadam carnis ejusdem. Porro ex omnium Theologorum consensu amorem, honorem, & obedientiam sibi mutuò debent conjuges. Amorem quidem, quia cùm proximum diligere jubeamur, quis eo nomine dignior conjuge, quæ unam carnem conflat cum conjuge? Propterea Apostolus ad Ephes. 5. ait. *Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua; qui uxorem suam diligit, seipsum diligit.* Honorem verò, quia vir quidem caput est uxoris, & familiæ, & ad eum administratio etiam fortunarum uxoris spectat. Uxor verò non famula, sed sociatrix est. Quare primus conjugum, *Mulier*, ait, *quam dedisti mihi sociam*: & Petrus Epist. 1. c. 3. vult viros *quasi infirmiori vasculo honorem impertiri*. Et verò prima conjugum è latere viri sumpta est, nempe ut viri latus clauderet, & sociatrix illi assideret, ac familiam curaret. Denique obedientiam alter alteri debet, Nam Genesis 3. Eva dicitur: *sub viri potestate eris*, sive ut Hebræa sonant, *ad virum recursus tuus*. Et similiter Petrus Epist. 1. c. 3. *Mulieres*, ait, *subdita sint viris suis*, & ex diverso vir quoque uxori parere obligatur, ut patet ex mutuâ corporum traditione.

His præmissis ut de more ad officia conjugum superstitem erga defunctos veniamus, facile admittam alterius morte cessare obligationem alterius ad parendum defuncto, nisi in iis quæ ad ultimas voluntates spectant. Sed vinculum amoris honorisque morte solvi admittere nequeo. Licet enim conjugium morte solvatur, atque ad eò alteri legitime collocari possit conjux superstes: licet id quoque demus Angelico Doctore, & Carthusiano; si conjux vita functus ad vitam diuinitus revocaretur, sine novo connubio non posse prioris matrimonii iure uti, aut cum superstite liberis operam dare, iuxta illud Pauli 1. cor. 7. *Si dormierit vir eius, liberata est à lege viri*, sive à vinculo coniugii: tamen manet obligatio honoris, amorisque, saltem eatenus, ut coniux superstes præ cæteris, sepulturam, & exequias coniugi defuncto curare debeat, illius conditioni vitæ congruas, ac proinde pariter manet vinculum amoris maritalis ad iuvandos eius manes. Certè cùm Abraham surrexisset ab officio

543.  
Etiã de-  
functis de-  
beri, autho-  
ritate proba-  
batur.

Z

funeris

funeris ( Saxe scilicet uxoris suæ ) locus est ad filios Hebr, dicens, *Advena sum, & peregrinus apud vos; date mihi ius sepulchri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum,* Genes. 23. Ex quo loco id documenti deducit Oleaster: *Ut viri coniugati discant, quantum debeant uxores diligere, & funera curare:* sic ipse. Et Ambrosius lib. de Abraham, c. 9. *Locus, qui legitur, ait, habet mortem uxoris, fletum mariti, sepultura officium, quibus maritalis affectus probatur.* Ita Ambrosius. Si ergo eo auctore, & Abrahami exemplo proprium maritalis amoris est, sepultura officium, etiam erit officium precum, & stipis largiendæ ad levamen defunctæ uxoris. Deinde Deuteron. 25. *Quando habitaverint, ait Moyses, fratres simul, & unus ex eis mortuus absque liberis fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui.* in quem locum itidem Oleaster, docentur, ait, *hic femina, quales erga defunctos, viros se debeant exhibere, ut quoad possunt, velint honorem ac nomen eorum servare.* Et Abulensis fratrem defuncti imperio divino adigi ad coniugem illius ducendam tradit, quod gravissimum sit eam ducere, cum amor uxoris ad defunctum cum magno desiderio tendat: unde existit hoc alterum causæ nostræ firmamentum: uxori superstiti nubendum erat fratri mariti defuncti, ad huius nomen honoremque servandum; ergo morte viri non solvebatur vinculum amoris maritalis in illum; Cur igitur iam solveretur? Et si enim ea lex antiquata est, tamen eius finis & causa manet, potestque, ac debet precibus, alioque defuncti levamento, obtineri. Id quod ex moribus hodiernis confirmatur, quia & nunc ad viri defuncti honorem solemniter eius luctus ad annum plus minusve durat, & contra decorum facit, imò & aliis offensionem est, qui sine urgentissimâ causâ statim à coniugis obitu ad alteras nuptias transit; censeturque non amasse viventem, contra ius fasque, qui mortuum tam citò obliviscitur. Et denique oblivio ipsa crimini passim datur, & cuidam inhumanitati: isque est omnium gentium non barbaratum consensus, ex quo solent etiam Theologi naturæ ius atque obligationem arguere, uti de obligatione filios alendi consistere diximus. Præterea ita Apostolus præcipit ad Ephes 5. *Viri diligite uxores vestras; sicut, & Christus Ecclesiam.* Quis autem dubitet, quin & Christus patientem diligat? Igitur, & viri uxores in Purgatorio patientes, & contra uxores ibidem detentos viros debent diligere,

atque ad eò iuvare.

Atque hæc argumenta extrinseca sunt, & foris assumpta. Porro idem ex coniugii natura ducere licet. Etenim coniugio coniuges sunt una caro, id est, unus homo, unaque persona civilis; igitur sese mutuo vehementer ament, necesse est. Idcirco Adamus inito cum Evâ connubio, statim fert legem, eamque Deus decreto suo sanxit, *relinquet homo, scilicet conjux, patrem, & matrem, nempe si res exigat ad necessarium vitæ confortium, & adharbit uxori suæ, sive ut legunt Septuaginta, conglutinabitur,* quod arctissimam conjunctionem significat, ac proinde non corporum modò, sed & animorum. Quæ etiam causa est, cur Deus Adam & Eva conditis *vocavit nomen eorum Adam,* ut asserit ipse Moyses Gen. 5. tum ut eos unam in personam civilem coaluisse significaret, tum ut indicaret uti nomine, ita & animorum affectibus unum, eundemque esse debere. Sanè ipse Pithagoras docebat in coniugio amico unam animam in duobus corporibus esse debere; Igitur etiam separatis morte corporibus conjuncti sint animis, necesse est: & quod ei consequens est, superstitem defuncto opem ferre.

Et verò si matrimonium spectetur ut Sacramentum, atque ad eò, ut signum conjunctionis Christi cum Ecclesia; uti hæc coniunctio animorum est, neque tantum cum Ecclesia militante, sed & cum patiente, atque triumphante; sic & maritalis coniunctio animos copulare debet, non modo cum adhuc militant; sed & cum stipendiis factis, vel purgantur ad coronam obtinendam, vel eam obtinuerunt, Præterea necessitas mutux inter coniuges dilectionis ex connubio manans necessitatem invehit in Christianos maxime procurandæ mutux salutis, certumque videtur uxorem gravius, peccaturam in leges Christianæ caritatis, si virum in extrema salutis necessitate derelinquat, quam si alius quispiam extraneus; igitur uterque coniux obligatur propriè, & ex lege coniugii alterum in purgantibus ignibus detentum iuvare, & ad salutis terminum, sive ad gloriam provehere. His adice communes utrique coniugi liberos, mutui causam amoris; atque ut loquitur Chrysostomus, mutux caritatis *pontem.* Nam velut duæ civitatis partes in unam civitatem ponte coeunt; sic procreatione maxime liberorum corda duo in unum, ut inter se juvent.

Adde mutua conjugum, perpetuaque beneficia. Cum enim Aristotele teste in Ethicis, *is cui bene fit, sit quodammodo eius,* qui

544.  
Et ex natura con-  
iugii.

545.  
Maximè  
Christiani.

546.  
Et mutua  
conjugum  
beneficia.

## Patrocinium Defunctorum. *Lib. II.* 179

qui benefacit, opus: ipsum verò opus pars quædam operantis, imò ipse operans: Sequitur conjuges velut alteros se invicem amare debere cum etiam mutuorum inter conjuges benefactorum ac subsidiorum obligatio ex lege conjugii manet, quemadmodum & prolis generatio; consequitur ex eadem lege perennem inter eos amorem esse oportere. Etenim, & benefecisse alteri, & per generationem prolis in unam personam coaluisse, perenne est.

### PARS SECUNDA.

#### *Explanatio moralis benevolentia maritalis in conjuges defunctos.*

547.  
Partes benevolentia maritalis.

VERUM hæc ipsa de more explanemus, & ex benevolentia maritalis partibus vim obligationis conjugum erga defunctos demonstremus. Ac primum alter conjugum alteri adesse & auxiliari debet. Nam vir quidem, ut caput est mulieris, ac proinde familia: sic & illi, & huic providere necessaria, atque in omnibus consulere tenetur: uxor verò viro in omnibus auxiliari. Quare Genes. 2. hæc quidem viri adiutorium dicitur, sive ut Chaldeus vertit, sustentaculum. Et Siracides Eccl. 36. Qui possidet, ait, seu acquirit mulierem bonam, inchoat possessionem, & adiutorium secundum illum est: & columna ut requies, sive columna requietis, aut ut alii, requietum, in qua nimirum vir à labore quiescat, cui securè filios, familiam, arcas, opes, adeoque seipsum committat. Id quod Sapiens in muliere ipsa forti dilaudans, Confidit, ait, in ea cor viri sui, & spolia non indigebit, reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ suæ, id est supellectilem domesticam, cibosque (quos Hebræi eodem quo spolia vocabulo expriment) procurabit: nec viri spem bonam de se conceptam fallenturquam. Quæ omnia idem Salomon Proverb. 5. pulcherrima similitudine explicat, dum ait: Cervæ gratissima, & gratissimus hinnulus; ubera eius inebriant te omni tempore, amore eius delectare iugiter. Constat enim illic mulierem bonam cum Cervæ componi, proximè enim dixerat: fit vena tua benedicta, & lætare cum muliere, Hebraicè, cum uxore adolescentiæ tuæ; ubi conjugem venam, & quidem benedictam nuncupat, quòd fons sit filiorum, & largus quidem divino beneficio, ac benedictione, & eandem statim rectissime Cervæ comparat. Nam ut docent

Aristoteles, Ælianus, Plinius, Oppianus, & alii, Cervus ac Cervæ inter se singulariter amant: tum felle carent; præterea velocissimi sunt ad sibi mutuo opitulandum, adhæc Cervæ, & acerrimo auditu sunt, & circumspicione non impare, & mari suo fidelissimæ. Item Cervarum difficillimus est ob uterum arctiorem partus. ducere etiam suos hinnulos ad pabula consuevere, eos defendere, exercere cursu, postremò eisdem docent fugam meditari, ductoque ad prærupta saltare, quæ omnia conjugum inter se officia subsidiaque bellè demonstrant.

Quamobrem & viros uxõibus mortuis, Cervos se præstare amando, iuvandoque & uxores Cervas viris se præbere pariter necesse est. *Vbera ergo tua*, id est, *amores tui* (sic enim rectè Vatablus vertit) virum tuum *inebriant*, ò mulier Christiana, id est, reficiant, ac solatio penitus compleant in tantis miseris versantem. Pedes verò Cervarum instar expedi ad opem illi quanto cyus ferendam: sive templa adeundo, ubi per synaxim Generalem purgantes animæ redimi possunt: sive ad pia loca eorum gratiâ peregrinando. Circumspice etiam, num quid ex piis eius legatis neglectum fortè sit, aut ex debitis maneat insolutum, & quod ipse faceret, tu fideliter exequere. Eia sis illi *columna*, in qua spem suam tutò collocet: sis *domus*, ac *lectus*, in quibus possit requiescere, non modo vivus, sed & vivis ereptus.

Nam si Corneliam uxorem Pompeius ille Magnus iam à Cæsare victus sic allocutus fertur cum Lesbium Insulam petiisset, ad eam secum, fuga abducendam. *Cornelia mea, rerum omnium mihi carissima, mitor te isto genere natam sic primo fortunæ prostratam ictu* (vifo enim illo semianimis conciderat) *crede nunc tibi ad immortalitatem aperta via est, si miserum maritum, æquè ac felicem ames, nam felicem amplecti, etiam imbelles ac fatua; infelicem ac victum sola possunt magnanima & optima conjuges.* Non enim tam maritum adamat, quàm mariti dignitatem, qui eâ ademptâ, non sibi in amore constat. Si Theogena Agathoclis Regis Siciliae uxor ab ægro marito, nullo modo se divelli passa est, quòd diceret nubendo se non prosperæ tantum, sed omnis fortunæ iniuisse societatem, nec invitam vitæ suæ periculo empturam, ut extremos viri spiritus excipere liceret. Si Ecclesiast. 26. *Pars bona, mulier bona in parte timentium Deum datur viro pro factis bonis*: id est, ut Græca explicatius habent, mulier bona portio est bona: in parte, seu in hæreditatem timentium

548.  
Explanatio erga conjuges defunctos.

549.  
Argumentum à minori ad majus.

tium Deum datur, quomodo vel bona mulier, & uxor commoda eris, vel portio, atque hæreditas viro bona, & sælix, si in summa eius infelicitate auxiliatricem manum porrigere ei cuncteris?

## PARS TERTIA.

*Expenditur de more mutua coniugum obligatio ad alimenta; & lytrum defunctorum.*

550.  
*Alimenta sibi invicem debent conjuges.*

**A**CCEDIT ad hæc, quod coniugem alter alteri, vel exuli, vel captivo, atque in carcere detento alimenta, aut lytrum debeat. Quod attinet ad alimenta, patet sine eorum subministracione amorem stare non posse; nec refert, quod qui inops est, culpam suam inopiam incurrit, quia nihilominus una caro est, & huiusmodi casibus se exponit, qui se dat in societatem fortunæ non minus, quam coniugii. Quod ad captivitatis lytrum spectat, si quidem modicum sit, & facile solvendo, perspectum quoque est amori coniugali, & cohabitationis obligationi non satisfacere, si quis illud denegeret.

551.  
*Et lytrum.*

Quid? quod Fernandi Gonsalii Castellæ Comitum fortissima coniux, cum maritus custodiâ teneretur, ipsa velut visendi gratiâ carcerem adiens, ei persuasit, ut cultu secum commutato se subduceret; quod cum factum esset, admiratus Rex mulieris caritatem, similesque sibi ac liberis coniuges precatus, marito liberam remisit.

552.  
*Etiã de functis cibum.*

Cum ergo coniugalis amor primum exigat, ut inopem & famelicum coniugem alter, si sit integrum, enutriet, pariter ad coniuges defunctos se porrigat, oportet. Enimvero & ipsi cibo indigent partim materiali, quem per pauperes ad ianuam tuam mendicant; partim Angelico illo, ac Divinitate condito, id est, sacrosanctâ Eucharistiâ. hanc enim & ipsi expetunt, dicuntque quotidie, ac sapius, *Panem nostrum quotidianum, ac supersubstantialem da nobis hodie*, quem panem non pauci è SS. Patribus Eucharisticum intelligunt. Quippe novere pii manes eo se corroborandos, ut iter illud suum ad montem Dei Horeb, id est ad colles æternos, atque ad Regiam cæli conficiant, eiusque panis figuram seu umbram fuisse subcinericium illum Eliæ panem; esse autem illum, qui de cælo descendit, quem qui comedit *viuet in æternum*. Neque dicas eum illis in viaticum esse portectum. Etenim eius quidem Viatici beneficio iter beatæ æter-

nitatis ingressi sunt & perficere poterunt: sed si eo semel dumtaxat refecti fuerint, lentius procedent; at si sapius ejus virtus viventium esu ac Synaxi illis applicata fuerit, velocius multo, ac facilius ad cælestem Jerusalem pervenient.

Adde pane illo contineri aquam vivam, imò Redemptoris sanguinem, & pios illos manes inter immensos flammæ lustralis ardores sui incredibili cruciari. Quare ô pia uxor, ô Christiane marite, eum possis, & facile possis, eo sanguine conjugis sitim relevare, non facies? Recordare quàm acerbum tibi esset tuum, vel tuam cernere extremam valetudine cum ardente febris luctantem, ô quàm torreat etiam teipsum illa ejus sævissima sitis! quàm sedulo atque amicè eam sedare studebas, sanguinem sudisses illi mitigandæ. At nunc æstuant immenso amplius, uruntur, peruruntur, & suavissimus potus tibi in promptu est, amabo per tuam in conjugem caritatem, per communes liberos, quos ille dedit, illa tulit, & educavit, tam expetita refocillatione conjugem amantissimum fraudare noli.

Alioquin enim eum odisse argueris. Nam Paulum audi ad Ephesios scribentem c. 5. *Nemo, inquit, carnem suam odio habuit: sed eam nutrit, ac fovet*. Ex quo consequitur, cum, eodem Authore, uxor tua, caro tua sit, te illam, si non nutris ac foves, si pane potuque Eucharistico frustrere, odio habere. Cur autem habeas, cum te tantopere dilexerit, & à te dilecta sit, neque illi deinceps quidquam contigerit, nisi ingentem in ærumnam incidisse, & jam ob culpas, quibus causam non raro dedisti, miris poenis excarnificari, quæ res charitatem tuam augere, non minuire deberet? Eia igitur iterum precor, cave magnopere, ne jam fidem maritalem, ne promissa numquam illam subsidio tuo ac solatio destituendi, tam turpiter violes.

Quin potius & divinum hoc alimentum conjugi provide, & pariter eum ærumnosâ Purgatorii captivitate expedi. Id etenim te Gentium Apostolus monet, dum Ephesios maritos monet c. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ*: ubi amoris genus, quod exigitur, exprimit, dum Christi caritatem in Ecclesiam probat atque ostendit argumento Redemptionis: Quasi dicat, redimite captivas in Purgatorio coniuges, sicut & Servator redemit Ecclesiam: Neque hoc tantum significat; sed insuper eo usque amorem conjugalem, si possiet, pervenire debere, ut coniux

553.  
*Et potum.*

554.  
*Alioquin eorū odisse convincuntur.*

555.  
*Pro defuncto conjugis lytrum solvendum.*

coniux pro coniuge sese in lytrum traderet, aut tradere paratus esset, quemadmodum Regem Tigranem paratum se asseruisse accepimus. Verum id non iam a te flagitatur, ô Coniux, sed ut dumtaxat modica stipe precibusque non frigidis coniugem tuam carere asserere contendas.

556.  
Alioquin  
conjugii  
lex violatur.

Quod nisi facias, vide quantopere pugnes contra conjugii leges, imò & contra te. Illæ siquidem iubent uxores viris deferre, & ex adverso viros uxoribus habere honorem: & cum vincula & carcer in maximis probis censeantur, tu coniugem carere ac vinculis igneis liberare detrectas. Rursum sanciant illæ, ut virum uxor assecratur, neque vir ab uxore se divelli temerè patiatur: & tu cum coniugem, si non quidem reapse, sed tamen votis ac precibus ad Purgatorium prosequi possis, illique adesse, miseram derelinquis. Illæ verant connubium dissolvi, tu quantum vales, dissolvis, dum vinculum in lustrali ergastulo volens oblivisceris: perinde te gereas, atque si nullam unquam connubialis nexus inter te, & ipsum intercessisset.

557.  
Et contra  
se facit  
conjugi.

Sed contra te turpius delinquis, quia cum vir sit uxoris caput, ac proinde uxor corpus viri, tu vel caput cum sis, præ solordia, & oblivione corpustuum atineri in ergastulo ardenti pateris: vel cum sis corpus, pari vesania ac crudelitate caput catenam igneam vinciri finis: & cum, eodem Gentium Apostolo auctore, eadem ad Ephesios epistolâ, *Qui uxorem suam diligit, diligit seipsum, sicut in viro, aut uxore aduri, demens ac vesane, quam precari Deum, ac frustra panis, aut æris nonnihil, egenti tradere.*

PARS QUARTA.

*Coniugalis in defunctos amoris exempla.*

558.  
S. Cunegondis.

ITAQUE bonorum conjugum mutua huius generis caritas insignis semper extitit. præbit omnes ordine, quæ prior est maiestate S. Cunegondis S. Henrici Imperatoris coniux dignissima. Hæc marito vivis erepto quàm maximam stipem contulit plurimis, & undecumque potuit, preces illi ac sacrificia conquisivit: præsertim à Religiosis, quorum utique & præclarior virtus, atque adeò impetrandi efficacior. At maxime ab alumnis cœnobii S. Crucis, quod refugium vocant, & à se extractum uterque pretiosis vasis, ac calicibus argenteis, atque aureis locupletaverat. Neque Monialium precibus contenta, suas illis, & unâ voluntarias pœnas ut iungeret, ad li-

berandum ( si adhuc Purgatorio attingeretur ) Imperatorem, sese ipsa illo in cœnobio Deo dicavit.

Clarissima quoque fuit caritas Philippi <sup>Philippi</sup> <sup>tertii.</sup> tertii Hispaniarum Regis, in animam Margaritæ coniugis carissimæ anno 1611. sublata 3. octobris. Nam postridie illius mortis iussit sacrificia continentur fieri à summo mane ad extremum meridiem: tum in Regio sacello, tum in omnibus templis, ac sacellis urbis Madritensis. Et horum sacrificiorum numerus ad mille septingenta pertigit: quorum ducenta octoginta ad aras expiatorias, seu in altaribus, ut aiunt, privilegiatis perpetrata, quatuor, & quinquaginta solemnè cantu celebrata sunt. Exinde voluit idem piissimus Rex illis addi viginti millia, dum tempus ferret, facienda: & testamenti executores de Regina ultimâ voluntate recensitis, quadraginta duo millia superaddenda curarunt.

S. Elisabetha Lusitanica.

Neque hic fletu potest præstantissimus Sanctæ coniugis ac Reginae Elisabethæ Portugallensis amor in Dionysium Regem & coniugem sibi ademptum. Obtinuerat viro verum de peccatis dolorem, priusquam diem clauderet: statim atque clausit, ipsa in conclave se recipiens detondit sibi capillos, religiosamque S. Claræ vestem induit, eoque cultu ad funus rediit: tum illud comitata est, dum ad cœnobium Odiveze efferretur: tibi Rex illud humari decreverat. Illic aliquot mensibus commorata, & precibus, & largiendæ egentibus stipi in gratiam Regis defuncti totos dies impendebat. Inde ipsa pedes & ignota Compostellam ad S. Jacobi peregrinata pro eiusdem viri levamento, nummos aureos & argenteos itemque lapides pretiosos, aliaque divo obtulit. Tum ad cœnobium Odiveze rediit, ut anniversariis pro conjugis animâ sacris interesset; & adfuere unâ Rex Lusitanicæ Alphonsus, atque Elisabethæ filia, & magna nobilium cohors. Postmodum quot diebus eadem de causâ adfuit binis sacrificiis cantu celebratis, quorum alterum de die, ut vocant, alterum pro defunctis: imò ipsa quotidie pro eadem conjugis animâ in verum amoris maritalis holocaustum semet offerebat.

S. Beggha.

His adijce alteram heroinam, dignitate quidem inferiorem; at non conjugali in virum pietate: Hæc illa beata Beggha est filia Pepini Ducis Brabanticæ, & minoris Pepini Ducis Austrasiæ patens, tantorum origo Regum, atque Heroum. Hæc post viri Congisi obitum, pro illius animæ solatio ad Apostolorum limina se contulit, eorumque gratiâ exorata in Patriam redux

monasterium in Anden construxit, in eoque sacraia septem, ad quamdam septem Ecclesiarum Romæ celebrium imitationem. In quibus sacraia viri defuncti bono iussit sacrificari, unde ortum, ut multis in templis sacella septem sacrificiis destinentur ad defunctorum levamen cum indulgentiâ faciendis.

Clara Eugenia Isabella.

Adjice & nostri sæculi lumen, Serenissimam Isabellam Claram Eugeniâ Hispaniarum Infantem, pro Alberto clarissimo coniuge vitâ functo quadraginta sacrorum millia fieri curantem, ac per triginta continenter dies, decem sacris, eadem causa audiendis intentam: & quâ potes munificentiam ac religionem amulare. Et ne solos magnates pro causa communi producamus, claudat hunc numerum B. Maria de Incarnatione Carmelitanarum in Galliis profeminatrix, quæ cum per annum ab obitu viri, pro eius liberatione, precibus, atque omni alio genere supplicandi cœlum fatigasset, eo evoluta cœlitus didicit, iam liberum cœlo potiri. Cum enim in cœnobio Ambianensi ipso die SS. omnibus festo contemplationi divinorum incumberet anno 1614. Deus illi notitiam status Beatorum infudit, atque hos inter virum suum ostendit, quo factum ut deinceps pro illo precari non posset; etsi quadam religione ad id se impelli sentiret. Ita ratum est quod Sapiens Proverb. 9. pronuntiavit, *qui invenit mulierem bonam, invenit bonum*: Quem locum Septuaginta sic exponunt: ut pro bono charites intelligent, nempe quæ cum sint horarum filia & gratiæ præteriti, præsentis, ac futuri temporis, non modo delectant, cum ambiuntur nuptiæ, aut cum initæ sunt, sed etiam in futura vitâ hominem completuntur, ac fovent. Atque hæc de obligatione pietatis satis sunt. Ex quibus cum etiam observantiæ debitum agnoscat (pari enim fere pede pietas, & observantia procedunt, & non mediocrem inter se habent affinitatem) intelligitur etiam abundè, quid Clerici ac Diæcesani Episcopo defuncto, Parochiani Pastori, Religiosi Præsidi, discipuli magistro, pupilli Tutori, servi Domino, subiecti Principi debeant; Quamquam varia sunt, quæ hanc obligationem facilius, quàm illam pietatis possint dissolvere, itaque ad vinculum iustitiæ strictæ progredior.

## ARTICULUS V.

*Ex obligatione iustitiæ strictæ  
Pius manibus opitulari  
necessum est.*

§. I.

*Hæredes pia legata solvere oportet.*

PARS PRIMA.

*Doctrina Theologica.*

**H**ACTENUS actum est de obligatione subsidii defunctis ferendi, vel ex caritate christianâ, vel ex misericordiâ, vel ex pietate: nunc obligatio iustitiæ tractanda est, & cum illius vinculo maxime obstringantur hæredes, de his primum agendum. Quamobrem ut Theologorum sensu de more præmittamus, observandum est, legatum, seu testamentum pium illud vocari, quod ad pias causas refertur, tale est dum quid relinquitur ad Numinis honorem, ad Sanctorum gloriam, ad animæ salutem, ad opem viduarum, pupillorum, peregrinorum, mortuorum. Hæc porro hæredes obligari solvere, nemo est qui ambigat. Siquidem eo ipso quo adeunt hereditatem, censentur contractum cum defuncto inire, non minus ejus onera realia, quàm commoda suscipiendi. Et verò hæredes defuncti testatoris personam subeunt, ut constat ex l. Hære. ff. de usucap. Quæ etiam causa militat ut ad solutionem votorum realium obstringantur, nam personalia sequuntur votantis personam, cumque eâ extinguuntur.

559.

Est autem piorum legatorum multiplex <sup>560.</sup> prærogativa; hæc præcipua quod ad eorum <sup>Legati pii</sup> robur ac firmamentum, juris civilis <sup>prærogativa.</sup> solemnibus formulis opus non est, cum civili potestati pia causa non subsit, sed soli Ecclesiasticæ, Quamobrem validum est testamentum, ac legatum pium, modo de potestate ac voluntate legantis testantisque constet, quamquam ipsi soli hæredi, qui privatâ scientiâ, ea æquè obligatur solvere, ac publicâ solemnique. Si quæris quàm graviter obligentur hæredes legata pia solvere: responsio non dubia est, in materia gravi, qualis legatorum esse solet, sub pœnâ peccati mortalis obligari, cum testatorem in re gravi fallat, idque cum damno <sup>ejus,</sup>

# Patrocinium Defunctorum. Lib. II. 183

ejus, & legatarii, quæ ex iam dicendis magis patebunt.

## PARS SECUNDA.

### Materia explanatio moralis.

561.  
Legatum  
pium non  
solvens,  
sanguisuga  
& homici-  
da.

**A**C legatarii quidem damnus, & iniuria, non est cur iam multis demonstretur, sive quod brevi Ecclesiæ ac pauperum causam suscipiam, sive quod manifesta est. Ut enim rectissime Cardinalis de Lugo tract. de legatis, ubi primum hæres adit hæreditatem, dominium rei testamenti legatæ ad legatarium transit, etiam inscium, adeo ut si res aliqua certa, fructiferaque legata sit, ex eo tempore illius fructus ad legatarium pertineant: Ex quo sequitur illud primum, hæredem legatæ solvere perperam recusantem tamen ea solus noverit, tamen ea minimè repetantur, furti reum esse, quippe quod rem alterius retineat invito Domino. Deinde consequitur hoc alterum, furtum illud sacrilegii notâ inuri, si quod in causis piis solitum est, vel Religiosis, vel Ecclesiæ legatum sit, quod iniuste retinetur. Quod si verò pauperibus, continuò appareret ejusmodi injustitiæ conscium eorum dici meritò sanguisugam, & homicidam, quoniam stipem quæ se alere ac victitare poterant, iniquissime eripit: Quare indignissimus est ipse qui vivat, dignissimus quem omnes velut cruciarium execrentur.

562.  
Teste Da-  
miano.

Sed audiamus hîc Petrum Damiani ad quemdam hujusmodi criminis reum ita scribentem. *Perpense ergo, venerabilis frater, quantorum homicidiorum in die iudicii reus erit, quomodo tot viduis, tot orphanis, diversisque pauperibus, unde vivere debeant, subtrahat? ad tribunal illud illius, qui pauperes singulariter diligit, qui se in paupere reficit, in paupere se perhibet esurire; ad tribunal, inquam, illius, qua conscientia veniet, qui alimenta pauperibus se subtraxisse recognoscit? si damnatur ille, qui vel unum hominem peremit ferro, qua sententia dignus est, qui bona Ecclesiæ profligando, complures interficit famis & inopia gladio? De quibus divina voce malo cuilibet venditori iam dicitur: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ: Et ille quidem fratrem peremit invidia, quia sacrificium non est Deo reprobante susceptum, isti plerumque tale quid faciunt amore pecuniæ, qua est servitus idolorum.* Hactenus Damiani Epistola quadam, quam refert Baronius ad annum Christi 1055. atque in codice Vaticanæ Bibliothecæ reperiri, nondum excusam.

Jam quod attinet ad injuriam testatoris, perspectum est primò genus esse perfidiæ in testatorem, si ejus hæres adit hæreditate legata supprimit. Siquidem, ut diximus, qui eam cernit, censetur pactum cum testatore inire, non solum hujus æs alienum, sed & vota realia, & legata pia persolvendi. Inest autem in omni contractu mutuo promissio mutua; & testatoris quidem voluntas atque obligatio legando abundè exprimitur, & morte impletur; hæredis autem, dum volens hæreditatem adit, quam novit legatis oneratam, vel revera esse, vel esse posse. igitur si hæres legata solvere negat, à perfidiâ excusari nequit.

563.  
Et perfidi-  
in defun-  
ctoris

Atqui perfidia manifestis inimicitis deterior est. Quàm igitur execrandi hæredes ejusmodi, qui testatorum præcipuam in se benevolentiam legatorum suppressione compensant, cum præsertim maximam, ut fieri assolet, fortunarum suarum partem hæreditati, minimam legatis piis assignarunt! Rursum perfidia scelerum apud mortales summum reputatur, notamque ignominia imprimet, quam nulla debeat religio; quam igitur ea imprimet, quæ in fraudatione legatorum ad pias causas versatur? Præterea id genus perfidiæ, quod in parentes admittitur, non modò hominem cæterorum hominum odio dignum; sed & vitâ indignum efficit: quale igitur, & quàm detestabile erit illud, quo parentes ipsos impiè frustratis eâ ope, quam sibi in maximam alterius vitæ necessitatem pararant? Adhæc maximè invisâ est ea perfidia, qua simplices ac miserabiles, ut pupilli, viduæ, aliq̄ue ejus generis, violantur: cum ergo pii testatorum manes citra dolum omnem, & sincerissimâ voluntate hæredem te scripserint, quàm te Deo & Angelis invisum esse necesse est, si tantis in miseris jacentes perfidiosè decipis. Denique si quæ perfidia crudelis & inhumana est, ea præsertim est, quæ eo tempore exercetur, quo maxime tibi quis confidit: atqui pii manes tum maxime causam habent in te confidendi, & opem tuam fidemque certò sibi pollicendi, cum te hærede totius patrimonii constituto, modicam ejus portionem animæ suæ levamento addicunt, igitur crudelis & barbarus sis oportet, nisi pia eorum legata persolvas.

564:  
Gravitas  
ejus perfidiæ.

Equidem infidus, ingratus, & inhumanus habitus est Tiberius Imperator, quando Senatorem quemdam, à quo hæres scriptus erat, levi de causa in senatu accusavit. At nonne turpior perfidiæ & inhumanitatis nota est, illum, à quo hæres nominatus

565.  
Ostenditur  
comparati-  
onem.

nominatus es, ad infandos ignis diurni cruciatus damnatum fraudare auxilio pauperum ac Religiosorum, à quibus possit eripi? Sceleratus, perfidus, & excors fuit Caligula, qui cum quis, eo constituto hæredem vitam ejus voto diurnioris traheret, illum à percussoribus mactari jubebat, dicitans sese ab eo haberi contemptui: sed nonne pariter perfidus ac sceleratus hæres ille, qui legata pia denegat, cum intelligat testatorem, à quo tanto beneficio affectus est, scelere suo ac fraude longissimam Purgatorii morte conficiendum? Sceleratissimus denique, ac perfidiosissimus fuit quidam civis, ac tonsor Mediolanensis, cui, cum Ludovicus Arcunboldus, civis item ejusdem urbis, adversa valetudine correptus ministerii mercedem trecentos aureos legasset, postque rursus in ægritudinem diurnam incidisset, ille moræ impatiens, veneno illius vitam petiit, ac propterea in foro fractâ cervice dignum operæ pretium retulit, uti refert Fulgos. lib. 7. c. 8. Sed nonne similis perfidiæ ac sævitæ reus est hæres ille, qui ut legato trecentorum aureorum plus minusve potiatur, non eripit quidem testatori vitam, sed eam miserime à piis ejus manibus trahi sinit in ergastulo flammarum purgantium? Et si perfidiosi, ut Nicanores, Triphones, Alcimi, aliique omnes pessimè pereunt, an felicior hujus generis perfidis exitus est expectandus?

566.  
Statuitur  
esse maxi-  
ma.

Viderint illi. Ego quidem si non hac in vitâ, non dubito, quin in alterâ longè atrocior illos maneat. nec enim eiusmodi perfidia mediocres pœnas meretur, quæ cum sacrilegio gravissimo coniuncta est, non modo quatenus legatarios fraudat, quod ostendimus, sed etiam quæ fraudat testatores. Enimvero iis iam vitâ functis surripit, quod ad animæ suæ salutem sibi providerunt: atque adeo rem sacram violat, ac diripit, in quibus ratio sacrilegii cernitur. Et vide illius atrocitatem. Quid enim legatum pium? est hominis è vitâ migrantis viaticum in cælum, hæredibus commissum, ut per pauperes, ac Religiosos, perque Angelos primâ opportunitate illis redhibeatur. Quàm igitur durum ac crudele viatoribus illud non reddere, eoque itinere tam longo ac difficili vacuos atque inopes per nefas derelinquere?

567.  
A definitio-  
nibus legati  
conglobatis.

Quid rursus legatum pium? munus est hæredibus concredutum, ut si fors testator in via ab hostibus interceptus detineatur, eorum Principi, Justitiæ divinæ offeratur, ut ipse iter ad Deum prosequi possit: iuxta illud Proverb. 18. *Donum hominis dilatat viam eius, & ante Principes spatium ei*

facit. Ergo contra omne fas, perque summam nequitiam & avaritiam, munus illud sibi retinent hæredes. Quid præterea legatum pium? est lytrum in manibus hæredum depositum à testatore, ut cum primùm carcerem purgantem subierit, Judici per eius familiares Religiosos ac pauperes repræsentetur, iuxta illud eiusdem Sapientis Proverb. 13. *Redemptio anima viri, divitiæ suæ: quàm igitur nefarium, illud lytrum ab hæredibus in usus suos converti, & captivum testatorem in infelicissimo illo carcere derelinqui! Quid deinde legatum pium? Auri genus est, quod ubi in sinu pauperis absconditur, vim habet iram indignationemque maximam Numinis extinguendi, imò & ipsum Purgatorii ignem: iuxta illud eiusdem Salomonis Proverb. 20. *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.* Et quisquam dubitabit, quin irâ illâ & indignatione dignissimi sint hæredes, qui aurum illud à testatore sibi concredutum, ut in sinu pauperum ac Religiosorum absconderetur, ipsi in ganeis ac popinis, in lupas canesque profuderint. Denique legatum pium, *Ei elemosyna viri, quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit, & postea resurget, & retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum, & convertet in interiores partes terra.* Eccles. 17. id est, legatum pium est moneta pietatis imagine signata, quæ sicut pupilla homini gratiosa est; & summâ diligentiam custoditur, ita Numini cordi est: neque verò morte legantis omnino extinguitur, sed tum maxime sese exhibet, vimque habet reddendæ leganti mercedis ac præmii, eamque vim porrigit ad Purgatorium usque, unde legantem eripit. Quamobrem monetam istam pietatis imagine ita insculptam, ac propterea Numini caram, furari, eiusque mercede privare pios testatorum manes, quàm impium, quàm Numini execrandum, quàm ipsis manibus damnosum est! & si singula horum damnorum tam gravia tamque detestabilia sunt, quàm erunt universa!*

568.  
Quibus pa-  
nis digna.

Equidem de eorum authoribus hæc habeo verissimè eloqui. Primùm dignissimos esse de quibus Osee vaticinium hoc accipiat. *Desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit; ut, inquam, argentum illud ex legatis piis corrasum, sive domus & ædificia eo constructa, multiplici ruinâ opprimantur.* At leve illud: Dignissimi enim sunt ut hoc quoque ex Jobi historia c. 5. vaticinium de iis intelligatur, *Longè fient filii eius à salute, & conterentur*

terentur in porta, & non erit qui eruat, cuius messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes divitias eius. Ubi impii divitis pœnam Eliphaz describit. Sed & hoc parum est. Quippe dignissimi sunt, de quibus ratum sit illud Siracida c. 18. *Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes.* Quod quidem promiscuè de omnibus, ad litteram, ut aiunt, ) verum est: nam cum inhumatur homo, illico ex ejus carne, adipe, & phlegmate serpentes, seu dracones, & bestia, seu bufones, & vermes scarabæi, lumbrici, aliique horridi enascuntur: at ex sententiâ Lyrani mysticè sic accipe: cum homo avarus tria fortitus sit bona, animam corpus, ac fortunas, moriens animam relinquet serpentibus, id est, dæmonibus, corpus vermibus, fortunas bestiis, id est, hæredibus, qui bestiarum instar hæreditatem devorent ac conculcent.

PARS TERTIA.

*Pœna in hæredes legatorum fraudatores.*

569. *In hac vita.*

ET juvat ad aliorum exemplum ejusmodi pœnas in medium producere. Ita narrat in Purgatorio suo conjunctissimus mihi P. Judocus Andries tract. 3. Contigit Mediolani matrem-familias ægro filio pharmacum noctu apparare; Improvisus compareret genius, & cubile ægri trepidantis accedens, *Noli, inquit, metuere, domicilii huius nuper possessor fui, nunc adsum infestus, non tibi, sed filiis meis, ab nimis ingravis, illorum bonis nunc damnum illaturus. Qui porro immemores mei, si esse pergant, sinet eos Deus funditus destrui. Sed audi, quid & avunculo tuo factum. Ille mecum una reus est, ac pœnas subit. Jam decennium est, ait ægrotus, cum hic desin vivere, & quas non preces pro illo fundimus, & etiamnum affligitur? Jam dudum beandus erat, subjecit umbra, si filii ea curassent, qua parens in sui incolumitatem fieri iusserat. Hinc sæda tempestas illorum vastavit agros; non tuos, tamen si proximos, ut optime nosti. Sic evanuit.*

570. *Et in altera.*

Habes, mi Lector, hujusmodi nequam hæredum adhuc viventium pœnam: habe, & mortuorum. Petrus Damiani in ea, quam ad Dominicum, & alios Eremitas fratres, scripsit Epistola, hanc historiam hisce verbis commemorat. In Teutonicis partibus, Comes quidam dives, ac præpotens: sed quod in illo hominum genere prodigium est reperiri, bonæ opinionis,

& innocentis vitæ, prout humanum erat, de ejus existimatione judicium, ante decennium ferè defunctus est. Post cujus obitum quidam religiosus vir, per spiritum ad inferiora descendens præfatum, Comitum in supremo gradu cujusdam scalæ positum vidit: Aiebat namque, quia scala illa inter crepitantis & stridentis ulticis incendii flammam videbatur erecta, atque ad suscipiendos omnes, qui ex eadem Comitum genealogia descendebant, constituta. Erat autem tetrum chaos, immane barathrum, infinitè patens, atque in profunda demersum, unde scala producta surgebat. Hoc igitur ordine succedentium sibi series texebatur, ut cum quorum novus accederet, primum scalæ gradum teneret. Is autem qui illic reperiendus erat, aliique omnes, ad proximum sibi gradum in ima descenderent. Cumque alii atque alii ex eodem genere homines post obitum ad præfatum scalam per temporum intervalla confluerent, alii protinus cedenti, ineffabilis judicii necessitate ad inferiora migrabant. Planè dum vir, qui hæc contemplabatur, causam hujus horrendæ damnationis inquireret, & præsertim cur ille Comes sui temporis puniretur, qui tam iustè, tam decenter, tam honestè vixisset, audiit, quia propter quamdam prædii Ecclesiæ Metensis possessionem, quam B. Stephano, proavus eius abstulerat, cui videlicet iste iam dicimus hæreditate successisset, omnes isti non diverso supplicio deputati sunt, & sicut eos ad peccandum non dispar avaritiæ culpa coniunxit: ita nihilominus ad perferendas atrocis incendii pœnas commune supplicium copulavit. Hæc Petrus Damiani:

Et quidem talia (pergit Baronius ad annum Christi 1055.) quæ non solum ex gravissimis testibus conciliant sibi fidem, sed ex divinæ Scripturæ præscripto, ita prorsus rem se habere, necesse sit affirmare. Cum certum sit Apostolo prædicante Cor. 6. quod neque fures, neque rapaces, multo magis sacrilegi regnum Dei possident. Et ab eodem perscriptum sit Rom. 1. eadem pœna teneri facientes ac facientibus contentientes: dum quæ sciunt hæredes ab Ecclesiâ esse sublata à maioribus bona, malâ fide possident. ita Baronius, & rectè. Etenim Ecclesiarum prædia, fidelium legata sunt, ad Clericos ac pauperes alendos destinata, scilicet ut ex ea ope animis suis solatium pii manes capiant; ac proinde eorum usurpatio, legatorum superfluo est. Neque verò admodum interest, an debita Ecclesiis pauperibusque usurpes, an possessa rapias, cum eo ipso legata

legata sint, legatariorum, quo mors legantis intervenit: Ergo.

*Discite justitiam heredes, non temere divos.*

572.  
Ergo imi-  
tandus Al-  
phonsus.

Imo imitamini Alphonsum Castellatum, Petro quidem Castellano, Præsule Palentino natum, at postmodum Pontificiâ & Regiâ autoritate legitimi iure donatum. Hic à parente hæres ex asse scriptus non modò pia parentis legata non accecidit, aut suppressit, sed religioni duxit bona sibi relicta, quæ pauperum, vel ipsius Ecclesiæ, ac Christi patrimonium ducebat, possidere, ne parenti malè verteret. Propterea hæreditati renuntiavit, Præsentibus Patris successore Domino Gutierrez de la Queva, & Capitulo Palentino, eiusque renuntiationem admittentibus. Qui tamen cùm deinde Alphonsum per eam abdicationem ad incitas redactum intellexere, denuo hæreditatem illum adire voluerunt. Porro ad tumulum Alphonsi in templo Clarissarum Vallisoleti terræ mandati, toties quasi malleorum sonitus auditur, quoties aliquis ex eius familia brevi decessurus est. Quapropter Abbatissa eo primùm audito, etiam longè disitis admonet, ut se ritè comparent; ex quo intelligas Alphonsum mortis memoriâ, metuque sibi cavisse, & rectè bona illa expendisse.

§ 2.

*Executores necesse est pias testatorum voluntates primo quoque tempore exequi.*

PARS PRIMA.

*Theologica Doctrina.*

573.  
Executio-  
nis obliga-  
gatio.

**S**I Theologos consulas, exploratum est primùm executoris esse defuncti legata testamento contenta solvere. Enimverò formula muneris illi commissi hoc indicat, cùm testator ita præscribere solitus sit: *Et ad ea perficienda, quæ hac meâ ultimâ voluntate continentur, designo in meos testamentarios N. N.* Porro etsi munus hoc naturâ suâ liberum sit, neque ad illud ut plurimum quisquam compelli possit, si quis tamen liberè admisit, vel difertè, vel tacitè, nequit illud renunciare, & ad exequendum compelli potest, ut patet ex iure, ac Jurisperitis, quos congerit Sanchez in Consiliis l. 4. c. 1. dub. 42. Id quod præsertim verum est, si eo quod sibi legatum est, frui velit: quippe quod admittere munus, cui onus annexum est, sit

& onus sibi imponere. Cùm autem admittit, conveniri potest à legatariis, ut legata solvat. Quam in rem, etsi non possit rem legatam capere legatario tradendam, invito & repugnante hærede, quem utique nequit de possessione suâ depellere, tamen hæredem in ius vocare debet, ut tradat, & nisi vocet, urgeatque renitentem, à lethiferâ culpâ non excusatur: si hæres propterea dumtaxat, legata, præsertim pia, solvere recuset.

Jam quod ad executionis tempus attinet, si quod à testatore præfixum est, constat servandum esse, sive longum, sive breve sit; id enim integrum illi æquè ac legare. Sed si nullum præfixum, ad legata quidem profana spatium annum, ad pia verò semestri iure civili concessum est: illudque metiendum à die ipso, quo testamentum insinuatam coram iudice, & munus exequendi ritè admissum est. At illud iure, ut dixi, civili concessum, idque ne hæres, atque executor ad pœnam obligentur legibus sancitam. *Siquidem si res ad conscientia forum referatur, conveniunt omnes,* inquit Cardinalis de Lugo de testam. disp. 24. sect. 11. *illum terminum non ita assignari, ut auferatur obligatio conscientia, quæ aliàs est de lege natura implendi voluntatem testatoris. Et quidem quoad solvenda debita testatoris, ratio est clara: quia nec testator poterat dilationem concedere hæredi, cùm testator ipse statim teneretur solvere. quo ad alia verò legata, probatur etiam clarè, quia illa sunt verè debita legatariis, ergo sicut alia debita, sunt solvenda illis, quando commodè potest. Habet autem potissimè locum in Missis, & suffragiis offerendis pro animâ testatoris, quorum dilatio ipsi multum nocere potest.* Ita de Lugo.

Quamobrem Navarrus Summæ c. 25. n. 65. item Sanchez Consiliorum lib. 4. c. 1. Dub. 53. docent moram ac dilationem notabilem in hoc genere, noxæ lethali obnoxiam esse. Idque manifestè indicat Concilium Carthaginense. 4. dum ita rem definit. *Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut difficilè reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur.* Nemo autem excommunicari potest, nisi propter lethalem culpam, neque verò alioqui egentium interemptor nuncuparetur. Adde, Bonacina teste, casum esse in Dioecesi Mediolanensi reservatum, si quis ultra biennium legata pia non solverit.

574.  
Tempus.

575.

Gravitas.

PARS SECUNDA.

*Insectatio illius iniustitia.*

576.  
Ostenditur  
generatim.

**A**TQUE nunc tempus est illum solutionis legatorum neglectum de more nostro insectandi. Quam causam eò propensius suscipio, quòd eadem operà contra infidos hæredes legatorum suppressores, aut arrofiores, quà contra socordes executores pugnaturus, atque ita defunctorum tutelam contra plurimos eorum hoc sæculo, ut & aliis superioribus, hostes, sim susceptorus. Uberem porò materiam mihi hac in causà suggerit Concilium Vafense. 4. Sic enim statuit: *Qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere demorantur, ut infideles ab Ecclesia sunt abiiciendi, quia usque ad exinanitionem fidei pervenire certum est hanc pietatis divina exacerbatorem: quia, & fideles de corpore recedentes votorum plenitudine, & pauperes consolatu alimonia, & necessarià sustentatione fraudantur. Hi ergo tales, quasi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei, habendi sunt.* Hæc Concilium. Ubi tres causas deprehendo gravitatis ejus flagitii, quòd damnamus. Prima, quòd infideles habendi sint illius rei, nempe quia fidem de futuro Dei iudicio nullam animo insitam habere videantur. Altera ratio est, quòd ultimas testatorum voluntates violent. Tertia quòd egentibus necessaria subtrahant, atque adeò eorum sint interemptores. Id quòd Concilium Agathense Canone. 4. & prius Carthaginense, ut vidimus, Canone 93. affirmat, & omnia pariter consentiunt his de causis Ecclesià exturbandos esse.

577.  
Nominatim ex infidelitate.

Igitur quòd attinet ad primam causam, principio observandum est ejusmodi infidelitatem non in errore, sed in factis, atque opere sitam esse. nec enim si quis voluntatem ultimam defuncti implere negligit, aut recusat, continuò divinis oraculis fidem non habet: verum ita se gerit atque si non haberet: ac nominatim oraculo instituendi aliquando iudicii, in quo utique crimen illud constat æternis pœnis esse damnandum. Sic ratiocinatur & Apostolus Gentium 1. Timoth. 5. ubi sic illum instruit. *Si quis autem suorum, maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Quis enim negavit fidem? nempe factò, quoniam sic agit quasi non credat Isaiæ Vati c. 58. sic præcipienti, *domesticos seminis tui non despexeris.* Quis est infideli deterior? non,

inquam, errore, sed iterum opere: quoniam infidelis quoque ex naturæ instinctu suorum domesticorum curam gerit: hic autem minimè. Neque ab hac dicendi formulâ multum abludit Salvianus Prefbyter, aut potius Episcopus Massiliensis, qui cùm libro 3. de gubernatione Dei, clarè demonstravit Christianos sui temporis non observare ea, quæ divinis oraculis nobis præcepta sunt, ita concludit initio l. 4. *Cùm, ut diximus, hominis Christiani fides sit, fideliter Christi mandata servare: fit absque dubio, ut nec fidem habeat, qui infidelis est, nec Christum credat, qui Christi mandata conculcat: ac per hoc totum in id revolvitur, ut qui Christiani hominis opus non agit, Christianus non esse videatur; Nomen enim sine actu atque officio suo nihil est.* Item lib. 4. ad Ecclesiam Catholicam postquam ad stipem suadendam hæc proposuit. *Si enim illi, Religiosi scilicet, ac pauperes, de tuo edent, tu satiaberis; si illi de tuo biberint, tu suis tua æstum ardoremque restingues: te illorum vestitus vestiet, te illorum apricitas delectabit.* Non ergo vile ac despicabile putes, si substantiam tuam miseris atque egentibus derelinquas, Christum in illis facies hæredem. Tum post pauca ita pergit; *sed hæc tu, ut reor, frivola esse iudicas, & quasi somnia quadam ac deliramenta contemnis, non enim credis Christum vera dixisse, & res probabat nequaquam te ei credere: nam qui mandata eius nec in postremis facis, aut nulla esse æstimas, aut falsa esse condemnas.* ita Salvianus.

578.  
Multiplici.

Rectè igitur Patres Concilii Vafensis infideles esse pronuntiant executores, hæredesque, qui contra Numinis de alienà re minimè retinenda edictum legata pia solvere cunctantur, quia sic agunt, quasi edictum illud à Numine latum non esset, nec de illius violatione Judici ratio esset aliquando reddenda. Scio equidem infidelitatem ejusmodi omnibus noxis implicitam esse: sed & illud scio vix esse noxam huic noxæ, quam in sectamur, in eo genere parem. Ut enim multiplex virtus, ac præceptum eà violatur, ita multiplex infidelitas continetur. Enimverò violatur caritas in proximum naturalis ordinis ac supernaturalis. Violatur item misericordia in ærumnosissimos: Violatur pietas in parentes, cùm hæredes ex natis ac consanguineis esse soliti sint, & executores ex cognatis. Violatur insuper Justitia, ut ex dictis patet, & ex dicendis patebit. Præterea violatur religio, cùm vel Ecclesia, vel Religiosi, ac pauperes legatis sacrilegè fraudentur. Quòd si infidelis, & hæreticus

revera est, qui pertinaciter vel unicum ruetur errorem, vide quàm detestanda sit illa tam multiplex infidelitas.

579.  
Et mali-  
tiosissima.

Sed & alia sunt, quæ illam aggravent. Cætera enim peccata ex animi perturbati impetu ferè admittuntur, & ea brevi pœnitentia subsequitur. Sic enim libido, vindicta, ebrietas, & alia gravia ejusmodi flagitia erumpunt potiùs ex animo, quàm cudantur, & vix commissa pudor & metantæa excipit. At subreptio ac suppressio legatorum piorum lentè parturiuntur, fraudibus occultantur, perjuriis confirmantur, atque ut deessent alia, avaritia ipsa vinculum est, quo animus indivulsè pecuniis, præsertim injustè partis, adhæret. Unde verissimum extat illud Salomonis effatum Proverb. 11. *Justitia rectorum liberabit eos, & in infidiis suis capientur iniqui*: sive ut hoc posterius vertunt Aquila, Symmachus, & Theodorion, *in iniustitiâ, iniuste agentes capientur*. Quare cum eò minus Judicii divini metus ac fides sese prodant, quò deliberatius est peccatum, ac pertinacius, hæredes illi legatorum piorum suppressores, potiùs jure quàm alii improbi, infideles vocari queunt. Neque admodum impar ratio est negligentium executorum, quia & neglectus ipse morâ ac lentitudine suâ inopes fidei, ac vacuos metu vindictæ iniquis paratæ, eos demonstrat.

580.  
Nomina-  
sim sita in  
negatione  
Purgatorii.

Denique nominatim hos deficit fides Purgatorii. Quis enim amantissimos vel natos, vel cognatos, aut familiares existimet credere, esse aliqua, quibus animæ parentum ac cognatorum urantur, incendia, quando intelligit paucillum nummorum, quod illis extinguendis sibi reservarant, à natis, vel cognatis supprimi, surripi, arrodì, differri, & intolerabilem Purgatorii moram minimo vel hæredum vel executorum incommodo postponi? Nam si intolerabilem credis, mi homo, ergo crudelissimus & impiissimus sis, oportet, qui cum eam amoliri posses, & facilè, & brevi, stipem, preces, & sacrificia procurando, omnia illa negligis æquè, ac si velles patrem, matrem, amicos perdiu torqueri. Si non credis, ergo infidelis esse convinceris, & quidem, ut loquitur Concilium, *usque ad exinanitionem fidei*.

581.  
Ex frau-  
datione ul-  
timatorum  
volunta-  
tium.

Atque hæc de primâ ratione hujus Concilii cur Ecclesia exterminandos pronuntiet iniquos piarum voluntatum executores. Altera est, quòd pios manes *votorum suorum*, ut loquitur, *plenitudine fraudent*. Quæ sunt enim vota, quòd consilium constituentis executores piorum legatorum? nimirum ut cum testator ab obitu velut

pupillus futurus sit, impotensque ea, quæ in solatium animæ suæ seposuit, tuendi, atque administrandi, executor personæ ac bonorum illius curam, tutoris instar, suscipiat, geratque, atque adeo, purgandæ animæ sit instar patris. Itaque pia legata, quæ animarum bona ac fortunæ sunt, & tamquam alterius vitæ patrimonium, ritè fideliterque administrare, & in usus à testatore statutos impendere, primo quoque tempore debet, & commodis earum servire. Neque igitur potest ea hæredibus, aut debitoribus remittere, neque quidquam ex eis donare, nisi in pauperum, aut pios alios usus. Et si in administratione, atque executione sibi præscriptâ graviter peccet, vel negligentia, vel iniquitate, non quidem ad compensationem damni obligatur, ut tutores mortalium, cum damnum animæ pupillæ sit alterius & altioris ordinis: sed ad pœnam immensam, atque ut minimum parem pœnæ, quam illius vitio anima pupilla sustinet: ac propterea cogitur, ut alii tutores, muneris sui rationem, non quidem humano, sed divino Judici, accuratissimè reddere.

Si igitur ad menstruum, ad semestre, ad annum spatium curam & administrationem tuam neglexeris, ô executor, vide quàm infideliter votis testatoris responderis, quàm iniquè cum animâ pupillâ egeris (quippe cum illi damnum ingens pepere- ris divitiarum, ac gloriæ cælestis) quam denique rationem muneris tui supremo illi Judici sis redditurus. Expectabat quidem testator in te amicum, & fidelem, & navum; propterea ex multis virum alterumque elegerat: tu causam amici maximam hostiliter neglexisti: Expectabat in te anima pupilla tutorem similem patri, tu illius bona ac patrimonium perire illi crudeliter permisisti. Expectabat Judex ut muneris tuo tam gravi diligenter satisfaceres. Tu cum damno alterius gravissimo moras ex desidia, ex respectu gratiæ humanæ, ex injustis hæredum postulatis traxisti: Quid habes his respondere? iam nunc cogita.

Etenim misellæ illæ pupillæ clamant ad Deum, & Siracide teste c. 35. *Non despicies preces pupilli, & viduam, si effundat loquelam gemitus, nonne lacryma vidua (adde, & pupilli) ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super, id est, contra deducen- tem eas: à maxilla enim ascendunt usque ad cælum: ubi, Pineda authore in c. 4. Eccles. instar vaporum, qui è terra excitati sunt, concreescere videntur in nubes, & pluviæ; & Dominus exauditor non deletabitur in illis, id est cum illi vehementer displaceat vidua ac pupilli oppressio, ex illorum lacrymis plu-*

*pluvia confertam supplicis, ac tonitruis, & fulminibus gravem creabit, quam in impios, & oppressores pupillorum, ac viduarum ei aculetur.*

584. *Neque est cur moram speres; nam de-  
Ex brevi in precatio pauperis ex ore usque ad aures eius  
damnum perveniet, & iudicium festinatio adveniet  
executo- illi, Eccles. c. 21. Quem locum Syrus ex-  
rum exan- ponit eleganter hisce verbis. Oratio pau-  
diatur. peris tanquam ex ore suo ad aurem suam,  
& ante iudicem seculorum ascendit: quasi  
dicat, inquit Cornelius, os pauperis est os  
Dei, & vicissim auris Dei est auris paupe-  
ris; quam facile ergo sermo pauperis ad  
ejusdem aures pervenit, tam facile quoque  
& citò ad Dei aures; usque eò, ut etiam  
prius, quam preces fundantur Psalmistà te-  
ste Pl. 9. Desiderium pauperum exaudiat  
Dominus. Ergo cavete hæredes, cavete  
executores, seu testamentarii, seu legitimi,  
seu Dativi, ne quam fraudem, aut gravem  
negligentiam in piarum voluntatum inter-  
pretatione, aut executione admittatis; Ca-  
vete ne quos defunctorum tutores, atque  
alteros patres esse decet, contingat esse  
animarum oppressores; quod crimen me-  
ritò inter ea, quæ in cælum clamare dicun-  
tur, & vindictam extorquere, accensetur,  
ut cum ex dictis, tum ex dicendis est intel-  
ligere.*

585. *Sed prius venio ad tertiam Concilii Va-  
Ex perem- sensis rationem, cur eosdem fraudatores  
ptione pau- anathemate feriendos arbitretur, nempe  
perum. quod egentium sint interemptores. Cujus  
pronuntiati causam reddit, quia illos frau-  
dant necessariâ sustentatione: Id quod Si-  
racides c. 34. prius expresserat hisce verbis;  
Panis egentium vita pauperum est, qui de-  
fraudat illum, homo sanguinis est: quasi  
sic argumentetur. panis pauperum, est eo-  
rum vita, hæc enim pane sustentatur: igitur  
qui illos pane privat, privat & vitâ. Id quod  
aliàs c. 4. insinuarat, Fili inquit, elemosy-  
nam pauperis ne defraudes: ubi græcè pro  
elemosynâ, vita ponitur hunc in modum,  
vitam mendici ne prives, id est, ne illum  
prives vitâ, scilicet necessaria vitæ subtra-  
hendo. Quod quidem tripliciter evenire  
potest, primò si eum in gravi necessitate  
vel extremâ, dum commodè potes, non  
pascas: Ut enim Jus Canonicum Dist. 88.  
Canone. Pasce fame morientem, si non pa-  
visi, occidisti, nempe quoniam qui cum  
commodè potest, mortem alterius non im-  
pedit, is ejus causâ est; Posterior ratio ne-  
candi deterior est, cum non modò ex cari-  
tate, sed ex justitiâ obligatus, egentes  
pascere negligis, quod scelus Executorum  
est, legata in pauperes solvere cunctan-  
tium, Tertia deterrima est, cum in tuos, vel*

alienos usus convertis, quæ debentur ad  
vitam egentium sustentandam, quod ma-  
ximè est infidelium hæredum. Igitur utri-  
que pauperum interemptores jure nuncu-  
pantur.

Est autem hæc horum à vulgo avatorum  
differentia, quòd avari inopes interimunt  
sua retinendo, dum essent largienda; no-  
stri autem homicidæ, aliena vel furando,  
vel non reddendo: avari etiam solâ paupe-  
rum cæde contenti sunt, nostri autem ho-  
micidæ simul cum illis defunctos confi-  
ciunt, dum vitam cælestem vivere, vel le-  
gatorum suppressione, vel solutionis dila-  
tatione prohibent, intereaque detinent tor-  
mentis morte multiplici acerbioribus im-  
mersos. Quare cum defuncti testatores  
consanguinei hæredum, atque ut pluri-  
mum parentes sint, hi perfidi hæredes re-  
vera parricidæ sunt; cum etiam execu-  
tores, tutorum ac patrum loco esse debeant  
piis manibus, certè qui ex iis sunt, infide-  
les, etiam parricidæ debent appellari. Cum  
denique qui pauperes necant, Christum,  
qui per fidem, spem, charitatem, Eucha-  
ristiam in iis vivit, necesse sit, ut unâ peri-  
mant: consequens est, ut homicidæ illi no-  
stri bis Christum enecent; nimirum &  
quâ vivit in hujus vitæ pauperibus, & quâ  
longè excellentiorem vitam in piis mani-  
bus ducit, atque adeò hæc etiam ratione  
bis sint parricidæ, & bis Deicidæ. O in-  
fandam sacrilegii atrocitatem?

Et dubitabimus, quin Christus tantâ la-  
cessitus injuriâ vehementissimè in ejusmo-  
di homicidas accendatur? Ambigemus,  
num animâ, num pauperes mortales, si  
contra illos numinis iustitiam implorent,  
sint exaudiendi. Christum audi: Deus au-  
fidus.  
tem non faciet vindictam electorum suorum  
clamantium ad se die ac nocte; & patien-  
tiam habebit in illis: dico vobis, quia citò  
faciet vindictam. Ita Veritas Lucæ 18. Cui  
consonant illa Siracidæ 35. Dominus non  
elongabit se, sed indicabit in istos, & faciet  
iudicium, & fortissimus non habebit in illis  
patientiam. Atqui è Purgatorio clamare  
animas testatur S. Vincentius Ferrerius  
Serm. 2. in die Animarum hisce verbis:  
Quando sunt negligentes, scilicet hæredes,  
atque executores, nec curant adimplere,  
anima petunt à Deo iustitiam contra illos.  
Idèd caveant manumissores, & hæredes,  
quia Deus faciet illis iustitiam, qui sunt in  
maiori penâ, quàm se in corpore, & ani-  
mâ hic comburentur, quia ille ignis est ma-  
ioris astringitatis. De hoc dicit Scriptura,  
numquid Deus faciet vindictam electorum  
suorum clamantium ad se. Sic ipse. Verùm  
si eos silere ponas, si veniam hæredibus,  
atque

586.  
Illorum dis-  
ferentia ab  
avaris.

587.  
Mina sup-  
pliciorum  
in hæredes  
& execu-  
tores per-  
fidus.

atque executoribus rogare, *Sanguis fratris tui Abel clamabis ad Deum de terrâ*, & de cavernis subterraneis, quò tua crudelitas pervenit. Quid tum? Nempe graviter timendum, *quia indicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius*. Eccles. 22. quasi dicat causam ipsam, atque injuriam sat per sese ad accendendum iracundiâ Numen eloquentem fore: usque eò, ut quemadmodum & pauperem hac in vitâ, fame, siti, ærumnis confecerunt, & doloris atque angoris aculeo confixerunt, & pariter animam testatoris in Purgatorio jacentis; sic & ipsi configantur, & doloribus angoribusque cuncti æternum pereant. O infidi Hæredes! ô executores impii! ô per quidquid est vobiscarum, hæc animis vestris reputate.

588. *Confirmata à Carthusiano.* Sanè ita se habere divinitus cognovit sanctissimus æquè ac doctissimus Dionysius Carthusianus. Is enim Epistolâ quadam ad aliquem Theologiæ Doctorem Coloniensis Academiæ, quem Magister Joannes de Lovanio, & ipse Doctor S. Theologiæ, sui testamenti constituerat executores: postquam suam cruciatuum ejusdem Joannis in Purgatorio carcere visionem memoravit, his verbis rem nostram prosequitur. Porro anno tertio, nempe ab obitu illius, inter nocturnas vigiliis defunctorum plus solito aliquid vidi, quod rerum necessitas me aperire compellit. Accensis quippe supra ejus sepulchrum candelis, cum Fratres inciperent miserere mei Deus, cecidit super me mentis excessus: adeò ut nec oculos aperire, nec super pedes stare possem: habui verò hinc non imaginariam, ut ante, sed visionem merè intellectualem, in qua mihi Deus Maximus ostendit indigno, quæ nec valeo, nec etiam scribere præsumo. Vidi nempe quàm inscrutabilia sunt judicia Dei, & quàm investigabiles viæ ejus, & de futura hujus Magistri salvatione, Deo revelante cognovi, quàm esset pium pro hujus animâ Dominum deprecari, & quàm impiè, infideliter, & damnabiliter ejus agerent executores testamenti, qui congestam ejus pecuniam, nequaquam in animæ ejus expendant adminiculum. sic ipse. Audi & observa, mi Lector, notitiam illam non nisi supernaturalem esse potuisse, quippe à solo Deo, atque adeò esse certissimam: ac proinde contemplate, & vide quid similibus executoribus sit formidandum. Quare sic postea pergit Carthusianus. Te igitur, Reverende Magister, qui inter executores hujus viri præcipuus electus es, oro atque obtestor, per eam fidem, quam hic in te esse arbitrabatur, ut omni repulsâ dilatione

ultimam testatoris impleas voluntatem, ne in te ira Dei defæviat. Vincit, fateor, affectionem ratio, & veritate neminem palpante durius scribo, quàm volebam: Verum etiam me tacente, tu ipse nosti, quàm sit impium, & periculosum vota negligere testatoris. Hactenus Dionysius apud Bzovium anno 1471. N. 31.

## P A R S T E R T I A.

*Exemplis Dicta confirmantur.*

VISNE huc usquè dicta de more exemplis comprobari? Eia gradatim procedamus. Refert Gregorius Turonensis de gloriâ Martyrum c. 31. quemdam febri quartanâ integrum annum fuisse exeruciatum, quòd supremam ac piam alterius voluntatem explorare neglexisset. Sed id leve. Cùm Neapoli ageret Angelicus Doctor: Romanus ex eodem S. Dominici ordine vir religiosissimus, idemque Doctor, videndum illi se exhibens, asseruit sese purgantibus flammis quindecim dierum spatio conflagrasse, quòd alicujus testamentum sibi ab Antistite Parisiensi commendatum, cuius curam susceperat, exequi cunctatus fuisset. Vide vitam ejusdem Angelici Doctoris. An leve tibi videtur hoc supplicium, quod tamen morte gravius, quinies ac decies cum acerbissimo cruciatu repetitâ.

Audi quod sequitur. Receperat quispiam se nummorum numerum aliquem in pauperes dispartiturum amici nomine, qui supremis tabulis ita statuerat. At moras in dies trahendo neglexerat. Octiduo elapso sistit se illi defunctus, sicque affatur: *Siccine perfide, meo sanguine pasceris?* (audite crimen vestrum, eiusque appellationem, ô executores desides) *Christique membra elemosinâ privas, quæ me ignibus exemisset? pro Dei tribunali de iniuriâ questus sum.* Ita ipse. Et vos ergo hanc querimoniam discite, & unâ iustam illius exauditionem. nam postero die negligens ille præcipiti correptus malo post formidolosam cum morte luctam, vitam abruptit. Quo exitu, fælicine, an infælici, vos cum tremore apud vos reputate.

Necdum timetis? & hoc audite. Moriens Romaricus Caroli Magni miles equum suum vendi iussit, eiusque pretium partim egentibus in stipem, partim Sacerdotibus in Missas, animæ suæ subsidio distribui. Qui rem susceperat, equi pretium abligurivit. Trigesimo post die adest illi Romaricus vitâ functus, & graviter queritur subreptum equi pretium, neglectamque sti-

589.  
Exempla.590.  
Alterum.591.  
Tertium.

que stipem, devoratum Sacerdotum stipendium, ac fructus Missarum. Enimvero per eam jacturam, crimenque executoris, terdenis diebus sibi in lustrali ergastulo commorandum fuisse. Tum diserte propterea, inquit, crastino ad orcum raperis, & evanuit. At non in vanum abierit mina. Nam die postero cum perfidus ille sodalibus visum minasque memorat, ecce in aere rugitus leonum, ulularum luporum ac urforum, aliarumque bestiarum horribiles audiri clamores; ille in auras abripi, ex eorumque eripi conspectu, tali spectaculo nimium quantum stupentium paventiumque. Receptis animis hominem conquirunt diversi in diversa partiti. Et duodecimo post die contritum ejus cadaver, lacerumque in monte Regni Navaræ quatuor dierum itinere à loco raptus diffuso comperiunt. Vide Vincentium Belvacensem, Speculi Histor. l. 24. c. 8. & vos tandem perfidi hæredes, executoresque,

*Discite justitiam, ac miseros non temere manes.*

APPENDIX.

*De solvendis testatorum nominibus.*

592.  
*An mora solvendi debita per se retardet mortuum.*

NON importunè hinc queri potest, qua ratione defunctis noceat, qui testatorum debita solvere cunctatur. Angelus, quidem verbo executor. N. 31. post Richardum, vult moram solutionis debitorum per se remorari animas in Purgatorio, etsi nolit illic tamdiu hære, quamdiu ea non dissolvuntur: sed parum consequenter philosophatur; nam si negligentia solutionis per se illas retardat, causam retardandi manente, non erit, cur expediantur, cum usque ad novissimum quadrantem justitiæ divinæ satis illic faciendum sit. Dicendum itaque cum Dominico Soto, Navarro, Sanchez in Consiliis: negligentiam illam vel executoris, vel hæredis, testatori vitæ functo per se non obesse, quod alienum peccatum illi obesse nequeat, per accidens tamen exploratum est, esse vehementer damnosam, propterea quod per ejusmodi negligentiam retardetur eleëmofyna, preces, sacrificia, quæ si fierent, vel testatorem pœnis lustralibus omnino liberarent, vel eas mitigarent. Neque obicias lib. 6. Revel. S. Birgitæ cap. 66. affirmari animam tamdiu cruciari, donec restituatur, quod injustè ablatum est. nec enim id ita intelligendum, quasi liberatio animæ per se pendeat à restitutione; nec concedenda illa sit, nisi restituta sint, quæ injustè sunt ablata; sic enim testator puni-

retur supra condignum, si rem minutam non restituisset, neque alius umquam restitueret, & præter omne jus, quia jam impotens est restituendi. Quare id ita dicitur, quod dum fit restitutio, accedant pia vota, precesque in testatoris gratiam, quibus demum liberatur, vel etiam quod restitutio ipsa ex christianâ caritate profecta, ac proinde pollens vi satisfaciendi, defuncto piè applicetur, eumque pœnis eximat. atque hæc ex communi sententiâ.

Libet tamen Lugonis nostri ingeniosam pariter ac raram hujus quæstionis enodationem ipsius verbis attexere, sic igitur ipse de pœnit. Disp. 27. sec. 3. n. 32. proposito communi sensu differit. Adhuc tamen in gratiam communis sententiæ, & propter revelationes illas, & communem fidelium sensum addere possumus dupliciter posse restitutionem illam prodesse animæ defuncti ad sui liberationem. Primo, quia sæpe Deus, quamdiu non fit restitutio, non vult exaudire preces, & orationes, quæ nomine Ecclesiæ, vel etiam à privatis pro illâ animâ offeruntur: congruum enim est, ut ille solvat pœnam, dum alii ejus causâ patiuntur. Quare licet soluta totâ pœnâ liberandus sit, & licet suffragia, & sacrificia profint illi, quoad fructum satisfactionis, interim tamen caret toto fructu impetrationis, quem habere posset; & hac de causâ petunt ab hærede restitutionem fieri debitorum. Secundo, addere possumus pœnam ipsam ob dilatam restitutionem, augeri posse quoad durationem vel intensiorem. quod quidem in humanâ republicâ fieri prudenter videmus, ut qui alium injustè læsit, gravius puniatur, dum qui læsus est, non condonat, vel sibi satisfactum esse profiteretur; mitius verò illo condonante, vel satisfactione ei oblata: pœna enim etiam ad hunc finem ordinatur, ut pars læsa ob injuriam acceptam, vindictam aliquam ab injusto lædente accipiat. Non est ergo contra, sed juxta æquitatem judicii, si dicamus idem delictum parte non satisfactâ, vel condonante, graviores pœnas sibi taxare de condigno, quàm satisfactâ, vel condonante parte. Potest ergo contingere, ut ob defectum solutionis differatur pœna defuncti, quia quamdiu pars læsa non condonat, vel ei non satisfit, pœna delicti præteriti gravior & diuturnior esse debet, ideoque defuncti non solum restitutionem à filiis vel hæredibus fieri petunt, sed aliquando etiam à personis offensis veniam & remissionem petiisse leguntur, eaque obtentâ gratias egisse, quasi ob impedimentum

593.  
*Sententiâ Lugonis.*

mentum ablatum suæ liberationis. Ita Lugo.

594. *Refellitur.* Cujus, nisi fallor, prior ratio infringi forsitan potest. nam si nulla fuerit testatoris negligentia, nullâ quoque ipsius, sed hæredum culpâ causâque creditores patiuntur. Sin autem aliqua fuerit, ea certe non est causa, cur post mortem testatoris creditores patiantur: sed hæredes, aut executores, quibus testator restitutionem commisit. Igitur punitâ illâ testatoris negligentia (sive fiat restitutio, sive non) nihil ad testatorem. Quare igitur impetrationis fructu privaretur? cum hæc privatio nova sit pœna. Posterior verò Lugonis ratio sic refellitur: nemo creditorum tam crudelis est, ut culpam, si qua testatoris fuerit in morâ solvendi, velit penâ ignis præsertim Purgatorii expiari, nemo qui eam pœnam aut etiam culpam non libenter condonet; ergo contra Lugonem pœnâ negligentia solvendi à testatore defuncto jam persolutâ, nihil castigandum restabit, cum sit à parte læsâ condonatum. Deinde nihil offit, quòd Judex humanus gravio-rem pœnam reo imponat, si parti non satisfiat, aut hæc non ignoscat: quia ille pacem publicam spectat, quæ nisi eo pacto, facile stare non potest. Judex autem divinus vindictam exigit quæ solius culpæ est: hæc igitur cum nulla sit in proposito præter solvendi negligentiam, negligentia sola ple-ctenda est.

## § 3.

*Graviter obstringuntur Sacerdotes ad faciendâ pro Defunctis Sacrificia, ac preces, accepto in eum finem stipendio.*

## PARS PRIMA.

*Doctrina Theologica.*

595. *Obligantur ad Missam accepto stipendio.* **D**UPLEX stipendium distingui potest. prius, quod vocant manuale, estque illud, quod impræsentiarum in manus Sacerdotis, alteriusve ejus nomine accipientis traditur, utique ad expensas, & sustentationem sacrificaturi necessarium. Posteriorius, quod fundatione, legato, alioque titulo constituitur. Utriusque verò acceptio Sacerdotem ad sacrificandum obligat. Init enim cum eo, qui stipendium tradit, contractum onerosum, quo se ipse ad sacrificium ejus causâ bonoque patrandum obstringit, & graviter quidem, quia in re

gravi, cujus quippe executio multum proficit, & omissio graviter noceat. Ex quo etiam efficitur, ut si Missam omnino negligat, ad restitutionem stipendii obligetur, cum eâ tantummodo lege tradatur, ut Missa patretur. Quare quod spectat ad eos, qui perpetua Missarum onera suscipere, ut Ecclesiarum, aut sæcularium aut Religiosarum alumnis, non modò privati inter eos lethaliter peccant, si Missas sibi præscriptas ad mentem intentionemque legantium non faciant, sed etiam Præfides ipsi, si pro muneris sui ratione non curent eas fieri, & utrique ad restitutionem obligantur. Quæ omnia, ut patet, maximè valent in causâ piorum manuum, quia Missæ iis debita, & vehementer prodesse, & earum neglectus vehementer obesse potest.

Et eodem modo pro portione de sacrificandi morâ philosophandum est, de qua hæc habet ex receptâ Theologorum sententia, eos qui ex stipendio obligantur ad sacrificium defunctorum solatio faciendum, lethalem culpam admittere, si notabili temporis intervallo illud differant, quoniam ea dilatio in grave earum damnum vergit: cum tanti sit vel ad horam igne purgante peruri, quo tamen Missa, vel omninò, vel ex parte eximeret. Deinde etsi in varias opiniones distrahan- tur Theologi, dum agitur de eo tempore definiendo, quo mora gravis, ac proinde lethalis habeatur: tamen ipsa tormentorum atrocitas satis demonstrat, nequaquam esse audiendos hac in parte, qui quinquaginta, aut sexaginta dierum spatium ad moræ diuturnitatem requirunt. Deinde non patitur eadem atrocitas tolerabilem videri eam fraudem Sacerdotum, qui rogati, an integrum iis sit istomet die pro defuncto sacrificare, falsò affirmant, & sacrificium in aliud nescio quod tempus differunt, quod sanè etsi per se breve, vix tamen, aut ne vix quidem breve censeretur, nisi imbecillitatis humanæ, mortisque æternæ ratio habenda esset. Id tantum à peritis peto, cum neglectus alicujus culpa crescat pro rei neglectæ gravitate, damnoque ex neglectu consequente, hic autem, & de afferendis è carcere lustrali animis, cœloque invehendis agatur, & de summo cruciatuum vitando, an æquum sit hac in causâ laxioris esse sententiæ?

Cæterum hæc redarguuntur antiquæ illæ Missæ multarum facierum, ut Petrus Can- *596. Et brevi quidem faciendum.*  
tor, Parisiensis Doctor abhinc annos pene *597. Hinc argue Missas plurimum facierum.*  
quingentos nuncupat, in libro quem *ver-*  
*rum facie-*  
*rum.*  
bium abbreviatum inscribit. Quibus in Missis plures ac diversi introitus recitabantur,

bantur, ideoque ipsæ multiplicis faciei dictæ. Porrò multiplici-  
tatis causa non alia erat, quam Sacerdotum cupiditas, nempe ut cum post introitum populus dona Sacerdoti facienti offerat, toties offerret, quoties introitus esset repetitus. Quem morem rectè ipse carpit, cum eo pacto Missa pluribus applicata: iis nempe, qui dona conferebant, & ipsi minus fructus ex eâ singuli perciperent, & defuncti, quorum gratiâ dona conferebantur.

598. Ex quo etiam consequitur perperam eos sentire, qui asserunt Missam unam, cum pretii sit immensum, tantumdem prodesse singulis, sive unica pro multis fiat, sive pro uno, aut pauculis. Et verò fructus Missæ, qualecumque sit pretium ejus intrinsicum, ex Dei decreto, ac Christi voluntate finitus est, tam intensivè, ut aiunt, quam extensivè. & qualis qualis esse dicitur; certè falluntur, fraudanturque, qui stipendium sufficiens pro Missâ unâ faciendâ tribuunt, si eadem pluribus applicetur. Quippe quòd integrum Missæ fructum, qui iis obtingere ex eâ potest, jure ac certò expectent: & tu avare Sacerdos, tantum illis applices eum fructum, qui cum probabiliter tantum sit integer, probabiliter etiam talis non est. Deinde cum stipendium non pro fructus applicatione datur (alioqui enim Simonia interveniret) sed pro sustentatione, & ponamus stipendium justum esse, atque ut tale admiseris, quo, quæso, titulo accipies secundum, maxime cum nec daretur, si te alteri obligatum innotuisset, nec dari possit, nisi pro sustentatione? Præterea ex eâ sententiâ conficitur, Sacerdotem æquè posse pro unico sacrificio stipendia decies mille accipere, atque unicum, & æquè omnibus, atque uni facturum satis: atque ita si neglectis totâ vitâ Missis, ad quas obligatus erat, stipendio, vel beneficio, vel legato, unicam sub vitæ finem faciat, omni obligatione liberandum, si quidem à principio communiter pro defunctis facere justus erat. Et causa est, quòd unica pro defunctis æquè valitura est, in eâ sententiâ, atque decies mille, quas totâ vitâ fecisset. Quæ omnia cum à fidelium sensu sint alienissima, hujusmodi sententiam scilicet condemnant, & omnino condemnandam demonstrant.

599. Quare meritò Urbanus VIII. Pontifex Max. ejus usum omnino interdixit, etiam sub judicii divini conminatione. Verba ipsa recito: *Sacra Congregatio sub auctoritate divini iudicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributa elemosynæ præscripta*

*fuerint: ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quin imò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. Id verò ut deinceps observetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, & indulta omnia, quibusvis personis, Ecclesiis ac locis piis, tam secularibus, quam Regularibus, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quancumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurimum Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.* Hoc est sacre Congregationis Decretum, de cuius virtute obligandi, ne dubites, noveris ab Urbano VIII. Pontifice approbatum, atque adeo non tam Congregationis, quam Pontificis dici debere; præsertim eum Alexander VII. eandem confirmavit 25. Januarii 1659.

PARS SECUNDA.

*Pana illius sacrilegii.*

**A**TQUE hinc quam spatiosus sese offert campus ad sacrilegam illam, vel negligentiam, vel rapinam digno vituperio insectandam? sed sacris capitibus parcendum, quæ revereri jubet ipse eorum Judex. Verumtamen non raris sacrilegorum supplicii illorum ejusmodi rapinas ipse ultus est: Quot enim Sacerdotes, quot Canonici, quot Ecclesiastici, quibus nihil aliud incumbere videtur, quam ut Fundatorum bona luxui & luxuriæ impendant, infeliciter perière? memini me legè apud Carthusianum l. 4. de noviss. quempiam Religiosum Anglum mente ad purgantia loca raptum, cum miraretur vix se in illis Sacerdotes ullos animadvertere, didicisse ab Angelo paucos omninò ex Sacerdotibus purgandos, plurimos autem æternum damnandos. Cur? quia nempe Sacerdotum crimina vix mediocria esse solent. Sed hoc ipsum curiam? quia, inquam, pauperum ac defunctorum fraudatores sunt, qui inter eos criminosi: hæc autem fraus vindictam extorquet è cælo, quippe misericordiam indigna, quæ crudelitatis sit plena. Quo fit, ut post continuatas ejusmodi fraudes, sinantur à Deo in novas ac novas noxas abire præcipites, nec metu novissimorum tangi se sinant, & post porcina vitam juxta templa & aras peractam, porcina morte defungantur. quod indicavit Angelus ille, dum tantæ cladis causam assignavit poenitudinis in morte defectum. Scio Canonicos multos, Sacerdotum plurimos

600.  
Cur multi  
Sacerdotes  
damnen-  
tur.

rimos, probitate vitæ, exemploque præstabilis ubique reperiri, non his hæc propono, nisi ut vivendi cursum, quem inveter, constanter teneant: sed qui alii sunt, aut esse metuunt, audiant Cantipratanum.

601. „ Ego, inquit, in quadam civitate Episcopi-  
 „ *Ami-* „ pali annis undecim adolevi, ubi sexaginta  
 „ *quorum* „ duo Canonici sub præbendis pinguis-  
 „ *Canon-* „ ducentarum fere librarum Parisiensium  
 „ *corum* „ (grandis tunc pecunia, nunc duo millia  
 „ *miseræ* „ florenorum æquat) in matrice Ecclesia ser-  
 „ *mortes.* „ viebant. Vide ergo qualem vindictam  
 „ Dei in ipsos vidi turpissimos detentores.  
 „ mihi testis & Judex sit Sancta Trinitas,  
 „ unus Deus, quod paucos eorum vidi com-  
 „ muni morte defungi, sed subito omnes, &  
 „ reprobè mori. Ita quod quidam eorum  
 „ audito, quod unus sociorum in nocte sa-  
 „ nus, manè mortuus inventus esset, com-  
 „ plosis manibus dixit, quid vultis? secun-  
 „ dum usum & consuetudinem Ecclesie  
 „ mortuus est, ut videris. Vidi ego ipse in  
 „ eadem Ecclesia infra paucos annos qua-  
 „ tuor Archidiaconos sic defungi. Vide Le-  
 „ stor, mirare miraculum; Primus eorum de  
 „ equo phalerato, & grandi cecidit, fractis-  
 „ que cervicibus expiravit. Secundus manè  
 „ in cathedra sedens mortuus est repertus.  
 „ Tertius in choro stans, cum ad Missam  
 „ elevatio corporis Christi fieret, cecidit re-  
 „ supinus, & subtracta loquelâ cum sensu,  
 „ quasi brutum animal die tertia sine Sacra-  
 „ mentis Ecclesiasticis est defunctus. Quar-  
 „ tus confessionem peccatorum, & sacra-  
 „ menta recusans mortuus est; & extra cœ-  
 „ meterium sepultus.

602. „ Hactenus Cantipratanus, qui dum hos  
 „ *Ratio ad-* „ infelicissimos casus plurimum simul bene-  
 „ *ditur.* „ ficiorum occupationi assignat, à nobis fa-  
 „ cit. Nam ea idè prohibita est, quod Fun-  
 „ dadores defunctos sperato precum plu-  
 „ rimum subsidio privet, Deumque cultu. Sed  
 „ licet hujusmodi Acanonici Canonici eo vi-  
 „ tio detentionis minimè laborent, non ægrè  
 „ intelligitur, quemadmodum pios manes  
 „ expectatâ stipe defraudent, tum quia id,  
 „ quod honestæ sustentationi superesset,  
 „ non pauperibus, quibus debent, imper-  
 „ tiuntur, ac proinde defunctos subsidio in-  
 „ de proventuro spoliant, sed effundunt in  
 „ convivia, & superfluas noxiasque volup-  
 „ tates: tum quia preces Ecclesiasticas, vel  
 „ omninò, vel magnâ ex parte negligunt, &  
 „ si quidem adsint in choro, ita adsunt, ut  
 „ abesse fatius esset, vel certè nihil obesset.  
 „ Adeò parum divinis sunt attentis: adeò  
 „ multum vel dum sacra fiunt, aut decan-  
 „ tantur, profanis intenti.

603.  
 „ *Doctaris*

Sed juvat rursus Cantipratanum audire,

simulque damnationem ipsam miseri Ca- *Philippi*  
 „ *damnatio.* nonicis, non modò argumentum damna-  
 „ tionis. Cum retulit hic author disputatio-  
 „ nem de beneficiorum pluralitate Parisiis  
 „ habitam esse à Guilielmo Parisiensi Epif-  
 „ sco, subdiditque & hunc & Hugonem po-  
 „ stea Cardinalem, aliosque Doctores illi-  
 „ citam censuisse, modò unicum beneficium  
 „ sustentationi honestæ sufficiat; Philippum  
 „ autem Cancellarium Parisiensem prope,  
 „ unicum contra dixisse: ita de hoc Philip-  
 „ po narrat. Quid autem de isto Philippo  
 „ contigerit, audiamus. Agonisantem in  
 „ morte dictus Guilielmus Parisiensis Epif-  
 „ copus paternâ sollicitudine visitavit, roga-  
 „ vitque eum, ut singulari opinioni cederet  
 „ de pluralitate beneficiorum, & omnia be-  
 „ neficia sua excepto uno in manus Ecclesie  
 „ resignaret, & hoc conditione mediâ, ut si  
 „ convalesceret, ei supplere vellet de suo  
 „ proprio, quod dimisisset. Renuit ille, ex-  
 „ periri se velle dicens, utrùm esset damna-  
 „ bile beneficia plura tenere. Mortuus est  
 „ ergo sic. Post paucos autem dies cum di-  
 „ ctus Episcopus Parisiensis, finitis Matuti-  
 „ nis orare vellet, vidit inter se & lumen,  
 „ quasi umbram hominis tetram nimis. Ele-  
 „ vatâ ergo manu consignat se, & si ex parte  
 „ Dei sit, præcipit, ut loquatur. Cui respon-  
 „ dit apparens, alienus à Deo sum: sed ta-  
 „ men mirabilis factura ejus. Et Præsul;  
 „ Tu quis es, inquit, cui ille respondit, Ego  
 „ sum Cancellarius, inquit ille, dudum mi-  
 „ ferrimus: Rursus Episcopus elato altiùs  
 „ gemitu, & quomodo tibi est, inquit, sic  
 „ dolenti? Malè, ait, imo quàm pessimè,  
 „ quia damnatus sum æternâ morte. Et  
 „ Episcopus, heu, ait, charissime, quæ causa  
 „ tuæ damnationis? Tres sunt, inquit, cau-  
 „ sæ, quare morte perpeti sum damnatus.  
 „ Una est, quòd recrecentes fructus annuos  
 „ contra pauperes timidè reservavi. Secun-  
 „ da est, quòd contra sententiam plurimo-  
 „ rum de pluralitate beneficiorum, quasi li-  
 „ citè tenendorum opinionem propriam  
 „ defensavi, & in hoc me periculo mortalis  
 „ culpæ commisi. Tertia est, & illa gravis-  
 „ sima omnium, quòd abominabili carnis  
 „ vitio in scandalum multorum, multo tem-  
 „ pore laboravi. Et ad Episcopum tunc  
 „ subjunxit. Estne, inquit, finitus mundus?  
 „ Et Episcopus, miror, ait, te litteratissimum  
 „ quondam virum hoc querere, cum me  
 „ adhuc vivum cernas, & nos omnes adhuc  
 „ viventes mori necesse sit, antequam mun-  
 „ dus instante judicio finiatur. Et ille, non  
 „ mireris, inquit, quia nec scientia, nec  
 „ ratio est apud inferos venienti. & hæc di-  
 „ cens umbra ab oculis mirantis evanuit:  
 „ ipse autem Episcopus, non tamen sub per-  
 „ sonâ

sonâ sua, quasi hæc vidisset, in prædicatione sua omnibus Clericis recitavit. Ita Cantipratanus l. 7. c. 19.

604. Porro observa primam ex iis damnationis causis ita intelligendam videri, ut velit damnatus ideò se periisse, quòd superfluos honestæ sustentationi fructus pauperibus subriperit. De secunda autem sic Colvenerius Duacensis Academiæ Doctor Theologus commentatur. *Postulantorum vivorum sententias, & ipsius Concilii Lateranensis, ac Pontificis Alexandri III. extravag. de præbend. c. quia in tantum: nequaquam dubitare poterat. Ibi enim dicitur quod multitudo præbendarum Canonibus inimica sit, dissolutionis, & evagationis materiam inducat, certumque contineat periculum animarum.* Hæc Colvenerius: sed salvo meliori ea res videtur etiamtum Parisiis in ambiguo posita fuisse. nec enim erat alioqui, cur à Guilielmo Parisiensi, cæterisque disputaretur, actum definiretur. Id quod confirmatur, quia Cantipratanus neque eo loco, neque alio, ubi ab occupatione plurium beneficiorum dehortatur, aliam auctoritatem laudat, quàm Guilielmi Parisiensi. Cæterum existimo damnatum de sententiâ illa prædicæ dubitasse, & tamen cum eo dubio è vitâ migrasse. Quare Guilielmo eum visitanti dixerat, experiri se velle, an damnabile esset tenere, simul plura beneficia posse obtineri. Quod attinet ad ejus quæstionem, an mundus adhuc duraret. Repugnat quidem hæc communi Theologorum sententiæ neganti, damnatorum mentes perturbationi obnoxias esse, ut patet & ex sermone divitis Epulonis cum Abrahamo, & ex statu animarum separatarum, corporis organis, ex quibus perturbationi nascitur, minimè utentium: sed dici potest eam perturbationem Philippo illi, ad confusionem ac verecundiam superbi capitis præter ordinem contigisse. Quo etiam modo, aliæ visiones, ubi pii manes de salute incerti describuntur, exponendæ sunt.

ARTICULUS VI.

*De obligatione gratiam Defunctis referendi.*

PARS PRIMA.

*Quid de illa Theologi.*

605. *Qualis obligatio* POSTQUAM de obligatione charitatis, misericordiæ, pietatis, ac justitiæ differuimus, superest, ut de illâ, quam gratus ani-

mus cuique imponit differamus. Scio equidem gratitudinem quatenus virtus est ab aliis distincta, inclinâtque ad debitum quoddam ex beneficio privati hominis enatum pro facultate reddendum, vix ullam, quæ nomine isto digna sit, obligationem inducere. Cùm enim beneficium gratis collatum sit, non potest parere, nisi moralem quamdam, seu decori honestique obligationem. Id quod ex opposito illi ingratitude vitio manifestius evadet. Est enim duplex ingratitude, formalis prior, qua vel beneficium, vel ejus qui illud fecit, animus contemnitur, ne obnoxius ei videare, & hæc quidem si divellatur à iudicio temerario, & offensione caritati contrariâ, nihil ferè sibi reliquum retinebit. Posterior materialis, quando absque contemptu, vel omittitur debitum grati animi officium, vel aliquid adversus hominem beneficium committitur. Cujus, auctore D. Thoma tres sunt gradus: primus non rependere beneficium, in quo ipso, ut inuimus, peccatum non est, nisi forè vel necessitas ejus, qui beneficium contulit, vel metus offensionis ejusdem, beneficium rependi jubeant. Secundus gradus est beneficium dissimulare, gratias negligendo, in quo citra metum offensionis ejus, qui beneficium contulit, ut summum levis culpa cernitur. Tertius gradus est nolle beneficium agnoscere, in quo si eandem offensionem subduxeris, nihil quoque grave repereris.

PARS SECUNDA.

*Eius commendatio.*

606. *Esi levis multum impellere solet.* VERUMTAMEN ea qualiscumque obligatio, imo & sola decori ratio, mortales ad referendam gratiam vehementius, quàm gravior ulla necessitas, ad officium impellit. Cùm enim quisque humanitate capiatur, eaque in conferendo beneficio maximè se prodat, primùm, beneficos benevolentiam complectimur, deinde cum bene illis velimus, pariter facere studemus, atque adeò gratiam illis, vel obsequio, vel beneficio referre. Ita hæc virtus cuivis homini, modò hominem se meminerit, cara est: usque adeò, ut barbaris quoque sit in pretio. Notum enim est Brasilios, Paraquarienses, aliosque anthropophagos largitione munusculorum emollitos, sentire humanitatis quosdam stimulos capisse, tum amasse largitores, & sensim ea, quæ ab illis docebantur, gratis animis audisse, Deoque demum sese insinuante, evangelio credidisse. Neque ulla tam fera natio est, quæ

est, quæ gratiam rependere, aut superare non amet. Quid siquidem Agarenis inhumanius? tamen hi cum S. Sabas plurium Cœnobiorum Patër, per cellam suam transeuntibus, melagnorum, & arundinum radices (nec enim aliud suppetebat) in cibum apposuisset, ad eum regressi, caseos, & dactylos retulere, unde vir optimus humilitatis ansam arripiens? *Heu mihi, inquit, barbari isti munusculi nostri memores gratiam gratiâ vincere studuerunt. Nos qui Deo tot nominibus ac donis obstricti sumus, ingrati esse pergimus. Quis igitur nobis venia locus, aut excusationi?* Quare non mirum si cum Balduinus Jerosolymorum Rex, Turcorum Ducis, quem proelio vicerat, conjugem partui vicinam omni re necessariâ ad vitam, & chlamyde suâ pro stragulam veste, cujus eo loco nulla copia erat, coopertam, illâso pudore, marito restituisset, ipse Dux Balduinum postea à Turcis superatum, Româque urbe parum munitâ clausum, & periculi admonuerit, quòd postmodum à Turcis impetendus esset, & ad tutiora, beneficio noctis, deduxerit. Ut Egnatius l. 5. c. 2. tradit. Minus etiam admirabile, etsi egregium, quod sub jicio. Veteranus quidam miles cum vocatus in jus periclitaretur, adiit palam Cæsarem Augustum, rogans ut sibi vellet adesse. Cæsar è comitatu suo selectum illico dedit, eique litigatorem commendavit. Hic miles vociferans, At non ego, Cæsar, periclitante te Actiaco bello, per vicarium; sed pro te ipse pugnavi: simulque detexit cicatrices. Erubuit Cæsar, atque ipse descendit in aduocationem, veritus ne non modò superbus, sed & ingratus videretur. Quid ejusmodi alia seu sacra, seu profana commorem?

607.  
Et debet  
maximè  
in causa  
mortuo-  
rum.

Enimvero permirum est mortales, cum mortalibus grati esse summopere laborent, de sua in pios manes ingratitude minimè laborare. Nam si Cicerone authore l. 1. de offic. *Beneficiorum acceptorum delictus habendi sunt, & imprimis quo quisque studio, vel benevolentia fecerit, ponderandum; nemo nescit, nihil sincerius supremâ hominis, præsertim Christiani, voluntate, nihil studiosius. Deinde grati animi pignus, atque argumentum, multò propensius illis præbendum, quàm vivis, quia in summâ versantur subsidii necessitate, summisque interea cruciatibus conficiuntur, qui nõ agrè levare possunt. Quare valet hic maximè, tritum illud: qui cito dat, bis dat.* Præterea meritò à nobis exigunt grati animi officia, quod idè benefecerint, ut vicem iis rependeremus. Neque enim illud, quod viventibus turpe est (beneficia con-

ferre ut recipias) morituros in causâ salutis debonestat, neque beneficium minuit. Siquidem cum beneficia semper omnia ad salutis nostræ rationes referre par est & laudabile, tum potissimum in morte, quando summa salutis agitur, & honestissimum Numinis brevi potiundi desiderium, animos tenet, curaque ingentis cruciatûs vitandi. Accedit ad animi grati vincula, quòd obnixissimè rogent eos, maximè, quibus benè, dum viverent, fecerunt. Ad hos enim dirigitur hæc eorum solemnissimè supplicatio, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me;* Quod si preces amici imperia sunt, quid ejus amici, qui beneficiis te devinverit? Quid defunctorum, qui nunc ope tuâ maximè indigent?

Cæterum ad vos potissimè se convertunt, ô Viri Religiosi, idque multis de causis. Etenim sat novere vos instituti vestri ratione, vitæque probitate, magis idoneos esse salutis suæ procuratores, sive quia momentâ rerum futurarum penitiûs cognoscitis, magisque expenditis: sive quia Deo Judici gratiores estis, ut eorum causam fælicius agatis; sive quia ad omne virtutis, ac maximè gratitudinis, officium promptiores. Propterea moribundi vos duces eligunt, ne aberrant in ingressu æternitatis. Et cum jam decesserunt, comites & assecclas funeris sui esse cupiunt, & suos apud Deum oratores. Itaque vos præsertim amicos sibi esse volunt, de quibus Christus, *Facite, inquit, vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Magis in fide vestrà, tutelaque nituntur, quàm in parentum amore, promissisque; exspectantque, ut ipsi animarum suarum redemptores, & parentes sitis, lytro nimirum sanguinis Christi perfusio, quo pariter vita cælestis comparatur. Denique vobis sese penitus committunt, ut ad amantissimi Sponsi thalamum, ac nuptias Agni, vobis paranympis queant pervenire.

### PARS TERTIA.

#### *Exempla grati animi erga fundatores.*

ET benè est, eorum spes non fallitis: imò fide ac benevolentia superare nitimini. Nam S. quidem Ignatius, Societatis JESU conditor, Petro Codacio, qui Domus Professæ Romanæ rem familiarem decennio magnâ caritate industriaque administraverat, adeo ut & domicilium de suo, & templum proprium ex elemosynis

609.  
Et impulsit  
S. Ignatium  
erga  
Codacium.

mosynis ei compararit, grati animi causâ, honores Fundatorum omnes decrevit, annuam videlicet, quamdiu vixit de more candelam, Missarumque certum numerum; mortuo verò, præter consueta suffragia, ut etiam sepulchro eam honorificâ inscriptione lapis imponeretur.

610.  
*Erga Ar-*  
*zium.*

Præterea cum lege cavisset ne quis è Nostri, vel exequiarum, vel sacrificii, vel cuiuspiam omninò ministerii nomine pecuniam, aut eleëmofynam ullam acciperet, nedum cogeret, eam ipse legem diligenter, sancteque in omni vitâ servavit, neque commisit umquam, ut fidem suam præsertim in rebus sacris, temerè obligaret: vel quod vitandum est maximè, specie pietatis quæstum facere videretur; quo in genere illud insigne memorant. Graviter ægrotabat ætate jam devexâ Hieronymus Arzius: ad hunc visendi causâ cum venisset Ignatius, hominemque benigno & spirituali alloquio recreare conatus esset, ille de futura vitâ sollicitus aureos ducentos ad piacularia Sacra pro se facienda sudario involutos institit Ignatio obtrudere. Quos cum obfirmato animo rejecisset Pater, quòd diceret se alieno periculo doctum ab hujusmodi conventis jam pridem abstinere, neque plus oneris velle suscipere, quàm præstare fide possit, admiratus ille sanctimoniam & integritatem viri, eam ipsam summam paulò post ad eundem sine ullâ conditione transmisit. Tum Ignatius sponte complures hostias ad expianda amici peccata decrevit. Neque in officii & charitatis certamine vinci se passus est. Ita Massæus lib. 3. cap. 9. vitæ S. Ignatii. Quem morem ac legem nostri hodieque religiosè observant. Universim autem hæc in gratiam beneficiorum toti Societati præcepit Constit. P. 4. c. 1.

*De memoria habenda Fundatorum  
& bene de Collegii meritorum.*

611.  
*Quid*  
*Funda-*  
*toribus*  
*reddatur*  
*in Socie-*  
*tate.*

QUONIAM valde æquum, ut quod in nobis erit, illorum devotioni, ac beneficentiæ correspondeamus, quibus divina bonitas ad foundationem ac dotationem Collegiorum titur administris: Primum in quovis nostræ Societatis Collegio, perpetuò singulis hebdomadibus Missa semel pro ejus Fundatore, & benefactoribus vivis, & mortuis celebretur. Initio item cujusque mensis omnes Sacerdotes, qui in collegio fuerint, pro eisdem semel offerre, idem sacrificium perpetuò debeant: singulis insuper annis eo die, quo Collegii cujusque possessio Societati tradita est

cum solemnitate Missa pro Fundatore, & benefactoribus celebretur, & id temporis in eodem collegio quicumque Sacerdotes adfuerint, eodem sua referant sacrificia. Eodem die candela cerea Fundatori offeratur, aut uni ex suis, qui ipsi sit cognatio, ne proximè conjunctus, aut illi demum, què ipse Fundator designaverit, in qua candela armorum Fundatoris, aut devotionis insignia extent. Illâ verò testabitur Societas, quam Fundatori, in Domino debet, gratitudinem. Cum primùm Societas in Collegii alicujus possessionem venerit, Præpositus Generalis curet indici per universam Societatem, ut quilibet Sacerdos ter Sacrum faciat pro superflite Fundatore ipsius Collegii, ac benefactoribus, ut illos suâ benignitate Dominus in rebus omnibus dirigat, & suis donis semper augeat. Rursus cum ex hac vitâ illi excefferint, curabit idem Præpositus Generalis, ubi primum resciverit, ut per totam Societatem, singuli Sacerdotes ter Sacrum pro animabus illorum faciant. Quoties autem dictum est Missas esse à Sacerdotibus celebrandas, ceteri omnes, qui in Collegiis degunt, ac Sacerdotes non sunt, ad eandem illam intentionem orare debent: quandoquidem ejusdem gratitudinis nomine utrique obligantur in Domino. Fundatores præterea, ac benefactores Collegiorum peculiariter, participes efficiuntur omnium bonorum operum quæ tum in ipsis collegiis, tum in reliqua Societate Dei gratiâ fiunt. In universum autem tum Fundatoribus, tum etiam ipsorum necessariis, & quoad vivunt, & postquam obierint, peculiariter sese devinctam esse Societas ex charitate cognoscat: ut omni officio illos prosequatur, quod à nobis præstari juxta minimam hanc nostram professionem ad divinam gloriam possit. Hæc S. Ignatius. Ex quibus extat hæc Rectoris 76. regula. observet quæ erga Fundatores, & benefactores tam vivos, quàm mortuos observanda sunt, eisque gratitudinem exhibeat, & aliis obligationibus, si quas Collegium habet, satisfieri curet.

Et si autem rectè Suarez tom. 4. de relig. 612. tr. 10. lib. 8. cap. 2. 5. censeat *Obligationem Ab universis Missarum, ac precum, quæ in Societate ingens Scribuntur pro Fundatoribus ac benefactoribus Collegiorum ac domorum, aliisque precum numerum intentionibus, non adstringere sub pœnâ peccati, cum in constitutione altarâ nullum extet verbum, quo id indicetur, & alioquin fundatio Collegiorum, & eleëmofynæ, nemque legata pia iuxta instituti normam recipiantur, atque aded iuxta Constitutionum mentem, ad culpam minimè obligantium:*

Bb 3

tamen

tamen accuratè ab omnibus id qualemque obligationis observatur, neque quisquam se Societatis germanum filium existimaret, nisi hac in re officio suo fungeretur. Itaque cum in universà Societate per totum terrarum orbem sparsà, anno 1627. extarent Provincià triginta sex, Domus Professæ viginti sex, Collegia quadringenta quadraginta quatuor, domus Probationis separatæ quadraginta quatuor, residentiarum ducentarum viginti octo, Seminaria quinquaginta sex. Socii denique omnes quindecim millia quingenti septuaginta quatuor: nec appareat, cur hoc tempore numerus iste imminutus videatur: quoniam si aliquâ parte decreverit, forte aliâ succreverit: Conficitur summam Missarum in Societate pro Fundatore unico fieri solitarum, si ponas mediam tantum Sociorum partem esse Sacerdotes, pervenire ad quadraginta sex millia, & septingentas viginti duas Missas, totidemque pro eodem recitati D. Virginis rosaria. Debitorum autem benefactoribus sacrificiorum non æquè licet rationes inire; nam si Sacerdotum numerus excedat decem, in singulas hebdomadas non unum tantummodo, sed duo Sacra pro benefactoribus fiunt: si verò excedat viginti, tria, & ita consequenter Sacra crescunt pro numero Sacerdotum. Quibus adde multa indici, quotiescumque Collegio, aut Societati notabile aliquid donatur: ac subinde quidem sacrificia duo, subinde unum singulis per universam Societatem Sacerdotibus faciendum præscribi, totidemque non Sacerdotibus rosaria in gratiam unici benefactoris; aliàs denique omnibus Collegii cui bene fit, Sociis, partim Missam, partim rosarium imponi.

613.  
Gratitudo  
S. Therese  
in Funda-  
tores.

Cæterum eodem grati animi, & pietatis in pios beneficiorum manes affectu fuit S. Theresa Carmelitarum restauratrix. Hæc enim ipsa lib. 8. foundationum de se narrat. *Primùm cum D. Bernardinus de Meddogæ Vbeda repentino casu diem obiret, longè se ab illo distitam fuisse. Tum verò Dominum sibi patefecisse, magno quidem cum salutis discrimine, sed feliciter tamen eum obiisse, benignitate Numinis adiutum: propterea quòd Vallisoletana Carmelo per munificus fuisset. Adieciisse deinde eundem expiatrix flammis cremari; at non prius iis educendum, quàm salutaris Hostia primùm in Cænobio illo immolata fuisset. Ex eo vehementer menti sua impressam habuisse illius panam. Quare quamvis acriter exoptaret Tolerum petere ad res foundationis, distulisse tamen id consilii, & Vallisoletanum iter ad condendum illic Cæ-*

*nobium, ubi primùm licuit per negotia, arripuisse. Peracto porro primo sacrificio, cum Sacerdos ad se, Monialesque divinâ Eucharistiâ impertiendas accederet, tum Bernardinum splendido cultu, manibusque iunctis obversatum sibi, & gratis pro præstitâ sibi ope benevolentissimè valatis illico in cælum emicuisse. Ita ipsa. Non est autem dubium quin optimi tantæ matris filii ac filiarum hausto ejus spiritu plenæ in beneficos manes gratissimæ esse pergant. Et par ratio est cæterorum Religiosorum ac Religiosarum, de quibus longum esset sigillatim dicere. Quemadmodum & de Paraceti, atque Ecclesiis, quarum una Hispalensis ædes primaria, singulis annis Missas privatas ad mille ducentas, & amplius pro beneficiis offert, & solemnnes, seu celebres, ad trecentas sexaginta quinque. Ita Gonzales de Avila in theat. Ecclesiarum Hispaniæ.*

Quid? quod Cælestes ipsi eodem in illos grati animi affectu se commoveri non inanibus argumentis demonstrare? Præclarum est quod produco. Anno partæ salutis millesimo ducentesimo vigesimo secundo, Julii decimâ quartâ summo mane decessit è vitâ Philippus Augustus Francorum Rex, ac dein in S. Dionysii, cujus Cænobium munificis largitionibus, ac prærogativis illustrat, Regiâ pompâ conditus. Porro illius obitus Honorio III. Pontifici Maximo, per nobilem quemdam divinitus significatus est. Jacebat ille jam ad mortem extremâ unctione munitus Singinæ (urbs est Tusciæ in valle Spoletanâ) & pariter in eadem urbe Pontifex tunc agebat; quando æger à se abreptus, videre sibi visus est equitantium turmam, quam procerus ac barbatus senex, unaque illi adequitans quidam eques minus provectus habitu fulgente claudebant. Senior interrogat ægrum, quis apud eum hospitaretur. Respondit is, Petrum Præbiterum S. Sabinæ Cardinalem ad se divertisse. Tum Senior; Renuncia, inquit, illi, ubi primùm illuxerit, ad Pontificem adeat, indicetque Galliæ Regem è vivis migrasse. Quare ejus animam Deo commendet, recitatâ solemnî prece; *Abolve, quæsumus, Domine animam famuli tui &c.* Supplicat æger, ut quis sit, aperire dignetur, & ille Dionysius, inquit, Arcopagita ego sum, & iste mihi proximus, Rex, cujus animam absolvere Pontifex debet. Ita Doubletus in historia Abbatia S. Dionysii l. 4. c. 9.

614.  
Gratitudo  
Cælitum.

ARTICULUS VII.

*De obligatione fratrum ejusdem ordinis ad preces, & Missas pro se mutuo solvendas.*

PARS PRIMA.

*Theologica Doctrina.*

615.  
*Missæ, ac preces pro defunctis indictæ.*

QUILIBET ordo Religiosus preces ac sacrificia certo numero præscribere solet in gratiam fratrum decedentium à superstitionibus persolvenda: lógum esset de cæteris dicere. Nostra tantùm attingam. In Societate itaque Jesu, pro singulis suæ provinciæ, Sacerdotes binas Missas, fratres bina rosaria, pro Domesticis autem singuli, tria, vel sacrificia Sacerdotes, vel rosaria fratres solvunt. Pro iis verò, qui extra provinciam obeunt, quisque Sacerdos, ubi vis terrarum singulis septimanis unum Sacrum, & pro universa Societate singulis mensibus unum: quare cùm in Societate numerentur ad minimum decies, & quinies mille, quorum longè plusquam pars media sint Sacerdotes, singulis septimanis fiunt in gratiam Sociorum mortuorum plus quàm octo millia Sacrificiorum: quibus addenda in singulos menses totidem millia, quorum saltem bona pars ad defunctos pertinet, præter ea quæ in provinciâ decedentis solvi diximus. Et sanè hæc omnia relictissimè. Cùm enim quilibet ordo Religiosus, sit velut mercatorum spiritualium societas ad communem ac proprium cuiusque quæstum ac commodum, par erat, ut mortuorum quoque commodis strenuè infudaret, cùm mortui alienâ operâ maxime indigeant.

616.  
*Sub quantâ obligatione.*

Quærunto porò Theologi, quàm gravis sit superstitionis culpa, si sacra pro mortuis fratribus indicta prætermittant. Et communiter respondetur, sive hæc indicta sint ex Constitutionibus generalibus Ordinis, sive ex particularibus regulis, sive ex Præsidum mandatis, eorum neglectum nequaquam esse lethiferum; nisi fortè uspiam tanta gravitas satis ac ritè exprimatur: si quidem hujusmodi Sacrificiorum præscriptio simplicis mandati vim ac rationem sortitur. notum autem est, nisi quid virtute obedientiæ votæ, aut disertè sub pœnâ noxæ lethalis præcipiatur, præcepti religiosi violationem minimè mortiferam censeri.

Et Pellizzarius in omnium Religionum institutis versatissimus, omnium hoc iudicium & usum esse arbitratur. tom. 1. tr. 5. c. 9. n. 12.

PARS SECUNDA.

*Insectatio in eos, qui pro fratribus Religiosis preces indictas non solvunt.*

VERUMTAMEN non pauca sunt, quæ hujus culpæ indignitatem non mediocriter exaggerant: Exploratum enim est, charitatis, misericordiæ, pietatisque legibus Religiosos potissimum teneri ad suppetias suorum vel Patrum, vel fratrum, spiritualium manibus ferendas: propterea quòd instituti sui ratione ejusmodi virtutes, ipsi inter omnes maxime profitentur. Deinde singularis inter eos necessitudo singularem exigit omnium in defunctos fratres animi propensionem. Siquidem non modò Deum ut communem Patrem agnoscunt, quatenus ab eo pariter omnes conditi, ac per gratiam geniti: non modò Christum ut fratrem habent, ac venerantur, quatenus ejusdem Matris Mariæ filii sub cruce nati; sed insuper eandem religionem in matrem accepere: & verò ab eâ velut utero feruntur semper, ac feruntur dum vivent, ab eâ eodem cibo & corporis & animæ nutriuntur: ab eadem iisdem vestibus teguntur: iisdem præceptis ac disciplinis ad virtutem informantur: iisdem gradibus ad cælestes dignitates obtinendas provehuntur: denique eadem est omnium vitæ ratio, eademque norma, quare & præcipuam quamdam in omnes sui instituti professores caritatem, & eximiam in pauperes ac calamitosos mortuos misericordiam, & præclaram in Patres omnes fratresque pietatem exhibeant, necesse est. Nam si sanguinis conjunctio ad spiritualis subsidii in consanguineos mortuos communicationem obligat, quid efficere debet hoc in genere necessitudo tanta spiritualis? Si deinde decori ratio, & rependendi beneficii quædam necessitas religiosos obligat ad preces, ac sacrificia hominibus, qui beneficio illos affecerunt, referenda: quid obtinere non poterit consecratio non modò suorum, sed & sui in usus Religionis ac fratrum Religiosorum? Accedit, quod omnes eâ mente religiosum institutum capessunt, ut animæ suæ rebus ac salutis consulant, ac proinde ut purgantes eruciatu communi fratrum ope, vel levent magnâ ex parte, vel omnino vivant. Quem in finem aliis ipsi prolixâ voluntate,

617.  
*Earum neglectus indignus.*

voluntate, opportunoque precum auxilio sunt opitulati. Quamobrem ut jure quam optimo mutuam ipsorum expectant auxilium: ita illis negare perquam indignum est.

618.  
Religio  
mundus.

Quam rem varia similitudine illustratum eo. Religionem bellè cum hoc mundo licet comparare. Placet autem ipsum cœtum Beatorum, cum illius Rege ac Regina, religionis cœlum dici, propter Solis Justitiæ, Lunæque mysticæ, & aliorum astrorum perennes in Religionem influxus. Porro inter Religiosos, illi elemento ignis maximè representantur, qui amore Dei flagrant, quo etiam reliquos incendunt. Aëri similes sunt mansueti, quippe ut aër omnibus sese leniter insinuat, cor refrigerat, atque hominem totum benè afficit: sic mites divinâ quadam suavitate, omnibus accepti, & intimi sunt, ac præferidas iracundiæ alienæ affectiones temperant, totamque Religiosam domum mirificè reficiunt. Aquæ affines sunt, qui ex sensu pietatis, dolorisque de peccatis suis, alienisque concepti, ad lacrymas procliviores sunt, quorum hæc sunt communia, cum Jeremiâ c. 9. vota: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei*, ac morte aternâ confectos. Terra refert humiles, qui seipfos ad terram usque deprimunt, & amant ab aliis proteri ac conculcati.

619.  
In ejus  
centro fra-  
tres mor-  
tui.

Sed si humiles & despecti per terram representantur, centrum istius terræ mysticæ erunt pii manes, quia infra omnes habentur, neque verò aliis substerni refugiunt, modò ab hoc mundo mystico non separantur: atqui eos separari tam nefas est, quam terræ centrum, ac subterranea loca à reliquis orbis partibus disjungi: Quemadmodum enim omni conatu vacuum fugit natura, ne qua pars Universi ab aliis divulsa, Solis ac cœlestium orbium influxu privetur, & ordine Universi perverfo reliquæ damnium pariantur, totaque mundi machina sensum solvatur: ita & centro mundi mystici à reliquis partibus disjuncto, totus ipse mundus paulatim defluet, Sole utique justitiæ, cæterisque benignis astris, virtutes suas in illum minimè influentibus. Nec enim Deus eam religionem amplecti, & gratis suis fovere perget, quæ ærumnosissimos fratrum manes crudeliter obliviscitur. Atque ita mystici illius mundi elementa virtutes, ignis inquam, calorem sacri amoris, aer mititatis lenitatem, à qua humorem lacrymarum amittet, terra ipsa se loco submovens, contra fas & ordinem Universi supra cætera

elementa ascendet.

Est & altera non inconcinna religionis cum mensâ similitudo. Nam in eâ memoria recordatione beneficiorum Dei tum communium, tum propriorum: intellectus contemplatione, tum ejusdem Numinis perfectionum, tum operum planè mirabilium, voluntas divinis solatiis pacitur. Accedunt, & mirificè quoque delectant conscientia recti, exempla virtutum alienarum, silentii, pietatis, castimoniæ, humilitatis, & eiusmodi. At omnium ciborum princeps est divina Eucharistia, de qua canit Ecclesia sic exclamans: *O quam suavis est Domine spiritus tuus: qui ut dulcedinem tuam in filios demonstraves, pane suavissimo de cælo præsuto esurientes reple bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.* Quid quod ipse minister est Christus, Patris Sapiaentia, de qua dicitur Prover. 9. *Sapiaentia edificavit sibi domum*, scilicet Ecclesiam, *excidit columnas septem*, nimirum septem dona Spiritus Sancti, quibus Ecclesia innititur: *Immolavit victimas suas in sacrificio Missæ, miscuit vinum, & posuit mensam suam*, nempe Religionem, in qua maximè vinum Sanguinis, & cibus Corporis Christi sumendus proponitur, *& insipientibus mundi asseculis locuta est, Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis, Relinquitte infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentia cælestis.* Neque minister modò Christus in religionis paranda instruendaque mensa: sed & cibus est, non ille tantum sacramentalis: sed etiam mysticus extra sacramentum seipso animam reficiens, quia dulcissimum est menti cibos illos in cruce amoris igne decoctos, ab eo jam immeritis maxima voluntate porrigi.

Quod si verò Religio mensa, eaque lautissima, quid agitis Religiosi, si quotidie ejus cibo saturi, pios è vestris fratribus manes ne micis quidem, *quæ cadunt de mensâ vestrâ, impertimini?* si, inquam, nihil solatii illis submittat? nonne hoc ipso ostenditis, vel illos catellis, id est, sæcularibus, deteriori apud vos esse loco? *Nam & hi catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ Dominorum suorum alcerarum: vel vos diviti illi Epuloni crudelitate similes, qui epulabatur quotidie splendide, & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, & nemo illi dabit?* Certè enim per Angelos Custodes suos ac vestros, Lazari nostri ad januam cordis vestri jacent supplices, & non nihil de mensa vestra sibi porrigi obnixè rogant. si igitur denegetis, non modò quæ vobis libera,

621.  
Ex ea mi-  
cas petunt  
fratres de-  
functi ve-  
luti Lazari.

liberæ, sed etiam quæ lege statutæ sunt preces, & sacrificia, veros sanè defunctorum cibos, nonne vos pœna manet illi similis, quâ Epulonis crudelitas castigata est? de quâ sic Christus Luca. 16. *Cùm esset in tormentis vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit, Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma: & dixit illi Abraham; recordare filii, quia recepisti bona in vitâ tua, & Lazarus similiter mala,* etiam à te per savam avaritiam, nunc autem hic consolatur: tu verò cruciaris. In quem locum Lucas Tudentis lib. 1. cap. 3. contra Albigenes, *Extremum, ait, digiti tingere, est saltem minimo aliquo opere mortuos invare:* quod cùm infalici illi Epuloni propter ejus sævitiam meritò negetur; & vobis ò Religiosi precum & Misarum in fratres avari, meritò negabitur. Nam si extraneis cibum negasse eâ pœnâ dignum est, quantò dignius fratribus, & Lazaro quidem miserioribus, & obnixè petentibus recusasse? Sic ergo habetote, vobis pariter ardentibus, vel guttam aquæ denegadam esse.

622.  
Religio est  
Regia Salomonis.

Præterea Religiosam domum cum Regia Salomonis conferre fas est. Ut enim in eâ structa erant omnia lapidibus pretiosis Cedrinisque tabulis. Sic Religiosa domus hominibus virtutum pretio ac fortitudine pollentibus constat, quibus cedrinam quòque incorruptionem gratia celestis ac perennis conciliat. Ut etiam in ea Regia erat armamentarium, in quo Salomon posuit ducenta scuta de auro purissimo, 3. Reg. 10. Sic in Religione extat armamentarium, vel ipsa potius tota quoque armamentarium est armis aureis refertum: quia etsi aliis virtutibus contra hostes pugnatur; tamen aureæ charitatis laminis illæ vestiuntur, ac splendent, ipsa quoque maximè hostes animæ, licet per alias virtutes, expugnat. Ut denique domus eadem Salomonica templo proxima erat, diximus enim superius exteriorem ejus partem ad atrium majus, nempe templi, pertinuisse: Sic Religiosa domus templo semper adjacet, sive quia numquam templo, vel sacrario caret, sive quia quisque religiosorum, ex quibus illa constat, templo ac precibus velut semper imminet.

623.  
Ejus infimam tenent contignationem defuncti.

Quod si autem Religio, Regia Salomonis domus est, perspectum est Religiosos vitâ functos ad infimam ejus contignationem pertinere. Quemadmodum ergo basilicæ contignationes omnes coherere oportet, & qui infimam ab aliis divellere

velit, totam basilicam subruat, necesse est: ita nefas est fratres vitâ functos à vivis derelinqui. Quemadmodum etiam neglectâ contignatione inferiori superiores sensim labefient: ita neglectis piis fratrum manibus, & Præsides, qui supremam efficiunt contignationem, & subjecti, qui medias, à Deo qui omnes sustinet, neglecti, brevi dissolventur. Adde charitatem, domus hujus esse nexum, neque posse vivos inter se rectè conjungere, nisi & cum mortuis conjungat, quando eadem est ratio vinculi viventium cum mortuis, & viventium inter se. Jam quomodo Religiosi lapides pretiosi esse poterunt, quomodo marmoris instar firmi, ac fortes, si eadem caritate careant, ex qua pretium ac fortitudo? Quomodo Religio armamentarium erit, & quibus hastis ac scutis instruetur, si Religiosi indictas à Præsidibus in gratiam fratrum mortuorum preces, vel denegent contumaciter; vel socorditer negligant, atque adeò obedientiam, aliasque affectas obedientiæ virtutes abjiciant, quibus velut armis adversus hostes depugnare solent? Quomodo præterea Religiosa domus, erit domus orationis, si etiam preces & sacrificia pro calamitosissimis constituta ab eorum fratribus ad id multiplici nomine adstrictis non persolvantur? Itaque eo pacto non jam Regia Salomonica, sed contumacium & malevolorum & barbarorum contubernium erit, & divinus ille Salomon, qui Religiosam domum in suam Regiam apparaverat, adeò deformatam illam videns, habitare non dignabitur, certè quidem turpitudinis ac labis illius authores averfabitur.

Postremò Religio aptissimè familia Christi nuncupatur, siquidem Christus est illius caput, ac supremus præses. Præmilla Christi fides ipsi S. Petri primatum in ea representant. Cæteri cæteros Apostolos, quippe veri Christi discipuli. Et sunt qui Joannis in sinu Jesu recumbentis delicias, rerum divinarum contemplatione experiuntur. Sunt qui filios tonitruï divinæ gloriæ ardenti sonoroque inter pulpita zelo referunt. Sunt qui cum Thomâ dicunt nec inaniter, *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Sunt qui cum Philippo & Andrea Gentiles videndi Jesu studiosos, ad illum, illiusque fidem adducunt. Sunt qui cum Jacobo Minore fratres Domini, ob morum & indolis cum Christo similitudinem, merentur appellari. Omnes sanè cum Petro, ac reliquis Apostolis ita quærunt, Domine quòd ibimus, *verba vitæ aeternæ habes, & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.* Est enim religiosus itatus

status indissolubilis & permanens, cujus prima basis est fides in Christum, qui centuplum, ac vitam æternam ejus affectis promisit. Omnes quoque cum iisdem omnibus dicunt, *Ecce nos reliquimus omnia*, etiam licitas alioqui carnis voluptates, & secuti sumus te, ut tibi obsequamur Apostolorum instar, quos obedientiæ voto sese obligasse credibile est, ut hæc etiam in re perfectionis culmen attingerent.

*Fraudatores suffragiorum luda similes.* Verum enimverò si Religiosi de familia Christi, si & Apostolis multis rebus sint similes, illi ex Religiosis qui fratres vitæ functos inunctis sacrificiis ac precibus fraudant, nonne magis ad Judam, quam ad quemquam alium Apostolorum accedunt? Quemadmodum enim spurius ille Apostolus fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur Christo, portabat ac subripiebat: ita hi quæ vel à Religione, vel à Præsidibus Christo in membris suis, eorumque fratribus, patienti in Purgatorium mittuntur, retinent, & illis velut eripiunt: dignissimi profectò qui indictis addictisque sibi sacrificiis priventur, *va qui prædatis, nonne prædaberis?*

PARS TERTIA.

*Exemplis ea indignitas ostenditur.*

625.  
Carthusiani.

**Q**UOD si reprehensione nostra parum moventur, moveantur saltem ipsarum animarum gemitibus, & increpatione. Erat Dionysius Carthusianus sui temporis tamquam oraculum, propterea ad eum consulendum plurimis confluentibus vix tempus illi restabat suarum precum pensis expediendis: Interea Ruremondæ, ubi degebat, diem suum obiit quidam Novitius, cui Dionysius se pro ejus animæ levamento Pfalterium integrum bis recitatum pollicitus erat; sed cum aduentium consulentiumque frequentiam detentus promissum differret, defunctus ei coram se sistens, promissi dilati arguit: Excusaturus erat occupationes Vir sanctus, sed repente obrigescens, verbum effari nequit, itaque agnovit primam ac cæteris anteponendam occupationem eam esse, qua debita ac promissa piis manibus persolvantur. Alias eidem Donatus quidam mortuus, sic fratres Laicos vocant, expletis nocturnis laudibus videndum se objiciens, graviter questus est de fratrum Cænobii sui infidelitate quippe debita sibi suffragia negligentium.

Fifen. in  
Flor. Eccl.  
Leod.

Dominicani.

R. P. Stanislaus Kolcocha Dominicani Ordinis in Polonia lumen, circa puteum

noctu deambulans, globos precatórios percurrerebat, cum quemdam audiit velut è putei fundo graves ac miserabiles singultus emittentem, ratus aliquem è fratribus in eum fortè delapsum, iterum iterumque compellavit, at nemo respondit. Interea repetebantur ejulatus: Ille suspicatus malum genium illic insidias sibi, vel alteri meditari, crucis formulam fronti, ori, & pectori impressam, interposito Dei nomine jussit eum, qui gemeret, edicere nomen suum, causamque ejusmodi latebrarum: Tum hæc audiit: *Anima sum illius fratris, qui nuper decessit, post vitam hanc satis religiosè exastam. Hoc in puteo divinam voluntate purgantes penas perpeti iussa sum. Si miraris me gelida in aqua flammis aduri, recordare Paschasium illum Urbis Diaconum in balneo pariter purgatum. Mitto cæteras mihi eluendas maculas, hoc unum tibi significo, velimque aliis desudosis renunciatum, hic me igne cremari, propterea quod pro anima fratris vitæ sancti consuetas è psalterio preces non exolverim.* Sic illa. Prætereo ego quæ de penæ gravitate addidit, ejusmodi nimirum esse, ut ignis nostratis acerbitas instar auræ tenuis præ illâ videri possit: quod etiam superius insinuatum est.

Neque verò virtus, ac sanctimonia decedentis retardare debet ab orationibus, aliisque charitatis in defunctum officiis: Id quod hoc exemplo persuaderi cuivis potest. Ita enim narrat Wadingus in Annalibus Minorum ad Annum 1289. In Conventu Salmanticensi decessit frater Angelicus, ita dictus ex Angelica conversatione. Debebant singuli ex constitutione Societatis, & præsertim illius Cænobii, sua offerre sacrificia pro refrigerio defuncti. Sed eos qui Præbiteri erant, ter oportebat pro eodem sacrificare. Inter hos erat actu Regens Vir bonus, qui tantam conceperat de homine opinionem, ut suffragio nullo indigere existimaret, & proinde neglexit Sacra offerre. At meditante apparuit mortuus post paucos dies, rogans ut sui miseretur. Quid, inquit, frater charissime, est quo indigeas? Tuis, respondit, precibus & sacrificiis, acerbis namque penas patior in Purgatorio, à quibus liberarer, si tuæ illæ Missæ non defuissent. Quare obnoxius oraverim, ut quanto citius his Sacris me illis subtrahas tormentis. Ita, ait Magister, durè tecum actum: quem nos ob manifestam pietatem putavimus esse in loco quietis & refrigerii? Ah! me miserum, dixit defunctus, nemo mortalium intelligit, quam rigorosum subeunt judicium, qui ex corporibus abeunt, strictè punit

Franciscani.

„punit Deus errores, neque ulli licet sedes  
 „Beatorum ingredi, nisi purè defæcato, &  
 „perfectè purgato. Præstitit statim Magi-  
 „ster cum lacrymis, quod bonâ fide prius  
 „neglexit, neque quæ pro defunctis offerre  
 „debebat, amplius omisit. Hactenus Wa-  
 dingus.

626.  
 Epilogus  
 ad iuven-  
 dos Religio-  
 sos mor-  
 tuos.

Quæ cum ita sint, sive multiplici nec  
 modicâ rei indignitate, sive fratrum mor-  
 tuorum gemitibus, sive pœnæ metu impul-  
 si reddite defunctis debita suffragia, ô viri  
 Religiosi: & citò reddite. alioqui enim  
 Patrum ac fratrum nomina deponenda  
 vobis sunt, si filios vestros, ac meliori ge-  
 neratione fratres, aut vestro subsidio de-  
 situatis, aut illud procraftinetis. Quip-  
 pe de quibus illud Psalmistæ verè conqueri  
 possint, *Pater meus, & mater mea dereli-*  
*querunt me; item illud, Qui iuxta me erant,*  
*de longe steterunt,* nempe oblivione mei, &  
 ingratitude. Quibus etiam competat  
 hoc Jobi. *Dereliquerunt te propinqui tui,*

*& qui noverant te, obliti sunt tui.* Quam-  
 obrem id omnibus persuasum esse velim,  
 ut potius aliquid addant indictis commu-  
 niter pro fratrum levamento suffragiis, &  
 insuper cum primùm licet, & salus despera-  
 ta est, etiam ante eorum obitum, iusta illis  
 persolvant. Et verò novi ego qui pacto  
 inito duodecim pro mortuis fodalibus sa-  
 crificia faciunt. Sunt etiam, qui Patribus  
 ac fratribus, quibuscum habitavere, plus-  
 quam cæteris favent. Et quis ambigit,  
 quin Præsidum curæ, Magistrorum studia,  
 Patrum spiritualium, ac Confessoriorum  
 labores, ac benevolentia, singulare aliquid  
 à nobis exigant? Cæterùm superstites  
 omnes singulis ac universis Patribus ac fra-  
 tribus sui Ordinis ita suffragari oportet, ut  
 intelligant vitâ functi se etiam in Purgato-  
 rio centuplum à Christo promissum acci-  
 pere: Centuplum, inquam, suffragiorum,  
 quæ opibus suis, in sæculo, si mansissent,  
 sibi procurassent.

## C A P V T T E R T I V M.

*Perquam honestum, & laudabile est  
 Defunctis auxiliari.*

### P R Æ F A T I O.



XPOSITA subsidii in pios  
 manes ferendi necessitate,  
 subnectimus honestatem.  
 hæc enim post necessitatem  
 bonos ac pios homines, qui-  
 bus utique scribimus, maximè movere de-  
 bet ad officium, atque adeò ad opem,  
 quam suademus, urgere, præsertim cum  
 eximia sit, atque ex purissimo fortissimo-  
 que in Deum amore promanare solita, ut  
 ex dicendis liquidò constabit, Verùm sen-  
 sim hîc agendum, & quod in ædificiis affo-  
 let, fundamentum totius hujus disputatio-  
 nis principio est jaciendum.

### A R T I C U L U S I.

*Majoris est meriti satisfactio-  
 nem suam defunctis appli-  
 care, quàm sibi  
 retinere.*

§. I.

*Explicatur Decisio.*

BIFARIAM intelligi potest hæc de-  
 decisio. Primùm ut aiunt, regulariter,  
 five ordinariè: deinde præse, atque sim-  
 pliciter cæteris paribus. Ac priori quidem  
 sensu perspectum est, præstabilius esse, at-  
 que adeò majoris meriti, satisfactionem  
 suam defunctis addicere, quàm sibi retine-  
 re. Etenim qui eam sibi retinent, vel reti-  
 nent negativè, id est, aliis non addicunt,  
 quo posito illorum manet, quia sequitur

627.  
 Evidens est  
 vulgò præ-  
 stare satis-  
 factiones  
 suas dare  
 defunctis.

per se opus bonum, atque adeo benè operantem. Talis autem retentio nihil laudis, aut meriti habet, cum sit mera negatio. Vel retinet positivè eam sibi applicando ad expungendas peccatorum obligationes, ac pœnas in Purgatorio alioqui lueudas: qui finis abjectus est, & humilis: & esse solet peritiorum quidem, qui satisfactionum vim norunt, attamen tepidorum, cum pœnarum metu non audent satisfactiones suas in defunctos transcribere: Et si agnoscant transcribendo se fore Deo gratiores. At verò qui satisfactionem suam in vitam defunctos transcribunt, etiam rudes, & illitterati, ex intimo misericordiarum, aut pietatis affectu in eos transcribunt. Quis autem ambigat, quin longè laudabilius sit, ac proinde amplioris meriti, duci amore ac misericordiâ ad quippiam aliis donandum, quàm metu pœnæ ad idem reservandum sibi? Enimverò illud regium est, & regiarum caritatis, hoc servile & infimum. Quare id statuendum velut evidens atque exploratum, ut plurimum, & ordinariè longè præstare satisfactionis suæ lytrum fidelibus mortuis largiri, quàm sibi retinere. Jam si præstius philosophari velis, & cætera paria ponere, nimirum reservationem satisfactionis ex casto Dei amore procedere, ut & donationem, aio, hac etiam ratione donationem reservationi præponderare, atque adeo amplioris meriti esse, idque multiplici argumento confirmo.

## § 2.

*Probatur auctoritate.*

628. **I**MPRIMIS satis illud constat auctoritate Scholasticorum. Sic enim disertè tenet Eminentissimus Cardinalis Joannes de Lugo de Pœnit. Disp. 26. sec. 1. verba annuero. *Quinta difficultas esse potest, utrum sit melius applicare suffragium defunctis, quàm sibi retinere. Videtur enim magis expedire hoc secundum, quia ordo caritatis petit, ut nos magis diligamus quàm proximum; Respondetur tamen laudabilius esse primum, scilicet applicare defunctis, quia in his damnis temporalibus laudabile est ea subire propter proximum, ut suppono ex 2. 2. q. 26. Hoc enim stat, quod nos simpliciter magis diligamus, cum in rebus æternis nos præferamus omnibus aliis. Hæc Lugo, qui ut ex terminis apparet, rem hanc satis evidentem censet, & propterea breviter, & sine controversia tractat, vir alioqui, ut testatur Palavicinus in præmio ad ejus consilia, qui nemini gratiæ suæ, vel*

*Imo etiam cæteris paribus probatur auctoritate C. de Lugo.*

*ingenii acumine, vel iudicii soliditate concedit. Ut autem constet eum in ea sententiâ omnino ac semper sibi constituisse, audi quid scribat Trac. de Incar. disp. 5. sec. 8. nam. n. 148. sic habet, Sed antequam secundâ conclusionis partem probemus, obiicitur primò. Gratia de facto dignificat opera hominis iusti ad condignè satisfaciendum pro pœnâ alterius, & prudenter communicatur hæc satisfactio alteri, licet ipse, qui satisfactio, indigeat sibi illâ satisfactione, ergo posset etiam applicare meritum cum aliqua sua iactura: Respondeo negando consequentiam: nam per applicationem satisfactionis non patitur homo iacturam aestimabilem, est enim iactura rei temporalis, quæ abundè compensatur per misericordiam, quam exercet cum proximo, & per augmentum gratiæ, quam per hanc misericordiam meretur, sicut etiam homo famelicus potest prudenter sibi panem auferre, & esurienti dare. Hactenus ipse. Unde habemus, & fundamentum solidum sententiæ nostræ, & solidam responsum ad unicum objectum cujusdam neoterici situm in ordine charitatis.*

Gradatim procedo, & Cardinali Lu-  
Suarii.  
goni subjungo magnum Suarium, quem à nobis stare, nullo modo ambigendum est. Siquidem in 3. P. disp. 48. sec. 2. sic disertè. Congruum fuit ut unus posset alteri com-  
municare suam satisfactionem, quia hoc non repugnat ordini propriæ caritatis, cum ob eam rem homo nullum essentielle detrimentum patiatur in his quæ ad propriam bonitatem, vel ad beatitudinem pertinent, nam ad summum potest ob eam causam aliquo tempore detineri ab ingressu beatitudinis, & aliquam graviorem temporalem pœnam sustinere, quod superabundanter compensatur ipso usu caritatis, quæ in communicatione propriæ satisfactionis exercetur, & essentiali præmio, quod illi respondet apud Deum, quod multo majoris momenti est ut per se constat. Et infra, Inde fit, ait, ut ex satisfactione pro alio augeatur potius meritum essentialis præmii cæteris paribus, quia augeatur opus caritatis in qua præcipuum meritum fundatur. Hæc Suarius. Ex quibus clarissimè intelligis caritatem applicantis suas satisfactiones superabundanter compensare fructum illarum sibi reservatarum, & cæteris paribus augere meritum, ac proinde majoris esse meriti, quàm reservationem.

His annectere possum Doctorem An-  
D. Thoma.  
gelicum ac Seraphicum, & Magistrum sententiarum, qui censent, Paulum de temporali iacturâ beatitudinis locutum, cum

cùm dixit, *Se voluisse anathema esse à Christo pro fratribus suis.* Sed iuvat D. Thomam audire: hic igitur 2. 2. q. 27. a. 8. ad 1. sic ait. *De illo Apostoli dicto potest dici, quod dicit Chrysostomus l. de compunctione, quod per hoc non ostenditur, quod Apostolus plus diligeret proximum, quàm Deum, sed quod plus diligeret Deum, quàm seipsum, volebat enim ad tempus privari fruitione divinâ, quod pertinet ad dilectionem sui, ad hoc quod honor Dei promoveretur in proximo, quod pertinet ad dilectionem Dei.* Hæc ipse. Ex quibus planum est temporalem privationem beatitudinis eligere, ut honor Dei in proximo promoveatur, atque adeò ut satisfactio nostra defunctis applicata eos cælo inferat, honorem Dei ope nostrâ promoturos, esse magis diligere Deum quàm seipsum, atque adeò pertinere ad perfectionem caritatis; non igitur esse contra eius perfectionem. Alter locus D. Thomæ sumitur ex l. 3. contra Gentes cap. 138. prope finem ubi sic habet; *Affectus caritatis in eo, qui pro amico patitur, facit satisfactionem magis acceptam, quàm si pro se pateretur, hoc enim est prompta caritatis, illud autem est necessitatis;* ubi nota ex mente D. Thomæ ita pari pro alio, esse suam satisfactionem alteri applicare: cùm ergo pati pro alio ex mente S. Doctoris, sit Deo absolute acceptius, quàm pati pro se, etiam erit eidem gratius, & laudabilius satisfactionem suam alteri applicare, quàm sibi retinere.

Denique ut supponit de Lugo, & Docent communiter Doctores, potest ex ordine caritatis subiri propter proximum, damnum aliquod temporarium, etsi spirituale, quale est temporaria beatitudinis iactura, cùm hæc misericordiæ mercede, quæ æterna est, satis superque compensetur.

§ 3.

*Probatum idem ratione.*

629. PRIMO. Quia transcribens suas satisfactiones cedit triplici lytro. Primum est lytrum pænæ sensus, sive ignis: Secundum est lytrum pænæ, seu tristitiæ, quæ oritur ex mora visionis Dei: Tertium est lytrum ipsius moræ, seu jus ad celeriores visionem. Quantum ad cessionem primi ac secundi lytri attinet, clarum est eam utramque esse maximæ caritatis, si seorsim spectetur. Et sanè si cruciatus iustialis solus sine retardatione visionis Dei Purgatorium constitueret, nemo non aperte videret majoris esse caritatis dare,

quàm sibi reservare suas satisfactiones. Tantum igitur nunc quærendum de cessione juris videndi Deum citius, an sit majoris meriti, quàm ejusdem reservatio. Et ego quidem licet gratis concessero cæteris paribus cessionem illius juris minus esse è perfectione caritatis, minorisque meriti, quàm eius reservationem, quia cæteris paribus præstat, ut ego Deum brevi videam, quàm alius; tamen in proposito ostendo evidentur, meo quidem iudicio, planè aliter esse sentiendum. Etenim caritas cedentis primo ac secundo lytro, seu caritas parati pænâ ignis & tristitiæ pro defunctis ex amore Dei tolerare, distat ab amore sui nolentis tolerare, quantum summa caritas à non caritate, adeoque incomparabiliter distat: at caritas sibi potius, quàm proximo optantis celerem Dei visionem, ad summum, & probabiliter tantum, distat à caritate proximo optantis eandem celerem Dei visionem, tamquam caritas mediocris à supparte; ergo transcriptio satisfactionum, quæ cessionem illam triplicis lytri, seu caritatem triplicem in se continet, plus excellentiæ caritatis continet, quàm earundem reservatio, quæ solam in se habet caritatem præoptantis sibi, quàm proximo celerem Dei visionem. Itaque omnibus istis consideratis, satis videtur patere maioris meriti esse transcribere suas satisfactiones ex amore Dei, quàm illas ex eodem sibi reservare.

Probatum 2. Quia magis est ex ordine, & perfectione caritatis hic actus, *Volo ad tempus privari beatitudine, & amore Dei puro, ut exerceam opus misericordiæ per se meritorium beatitudinis amplioris, amorisque maioris, & æterni,* quàm iste actus, *Malo mihi beatitudinem, & amorem beatificum temporarium, quàm alteri:* quia caritas longè magis inclinat ad bonum subiecti sui maius, & æternum, quàm ad temporarium; atqui prior actus exercetur à transcribente suas satisfactiones, posterior à reservante; ergo transcribere illas magis ex perfectione caritatis, quàm reservare. minor probatur, quia transcribens ideò cedit iure suo ad accelerationem beatitudinis, ut exerceat opus misericordiæ in defunctos, quod novit esse summæ meritorium gloriæ, amorisque beatifici æterni; reservans autem etiam ex amore tantum cõfertur, ut citius Deum videat, ametque citius amore puro ac beatifico.

Confirmatur ex factis S. Pauli positâ interpretatione Angelici Doctoris. Item ex factis S. Martini, & S. Ignatii, & aliorum plurimorum. Etenim in confesso est apud omnes S. Paulum fecisse ex perfe-

Cc 3

ctione

dione caritatis, dum *volebat esse anathema pro fratribus suis secundum carnem*: anathema autem esse secundum D. Thomam, est privari beatitudine suâ ad tempus: ergo est ex perfectione caritatis velle illa privari ad tempus, ut exerceas misericordiam spiritualem in fratres, ergo etiam ut illam exerceas in defunctos, hæc enim est etiam magna. Cur autem factum Pauli est è perfectione caritatis, nisi quia talis misericordia postponebat beatitudinem suam temporalem liberationi fratrum à summis miseriis? ergo & postponere beatitudinem suam temporalem liberationi defunctorum à maximis miseriis, erit ex perfectione caritatis.

Probatur 3. Quia illa dilectio est perfectior majorisque meriti, quæ est magis appetiativa Dei, ultimi nimirum finis: atqui applicatio procedit ex tali dilectione, ergo. major constat, probatur minor, quia illa dilectio est magis appetiativa Dei, quæ illius gratiâ ad plura & difficiliora media se extendit: nam ideò dilectio statuentis vitare Dei causâ etiam venialia, magis appetiativa est Dei, quàm dilectio statuentis vitare sola mortalia, quòd prior ad plura & difficiliora se extendat, quàm posterior (& similiter dicendum de dilectione, quæ extendit se ad consilia) atqui dilectio Dei, quâ quis propter eum abdicat se satisfactionibus suis, ut eas donet defunctis, ad plura & difficiliora se extendit, quàm ea, quâ quis eas sibi reservat, ut certum est, nam præterquam quòd per se æquè fertur ad Deum purissimè in cælo amandum, & nisi misericordiæ Dei causâ exercendæ occasio se præberet, quantocius ad cælum aspiraret, insuper eadem Dei causâ exponit se periculo manifesto tolerandi pœnas Purgatorii, eas, inquam, pœnas quibus se per illas satisfactiones sibi reservatas eximeret. Quod periculum meritò æstimare potest, ac debet in tantâ raritate eorum qui rectâ cælum conscendunt; quâ positâ fatis intelligit se iis satisfactionibus quas defunctis largitur, opus habiturum.

Dices: magis congruit caritati procurare mihi beatitudinis accelerationem, quàm alteri: atqui per reservationem satisfactionum procuro mihi beatitudinis accelerationem, per earumdem autem in defunctos transcriptionem procuro illam alteri: ergo. Probatur major, quia procurando mihi beatitudinis accelerationem, procuro mihi actus visionis, & amoris beatifici, quibus magis placeam Deo. Respondeo distinguendo majorem, ejusque probationem: cæteris paribus transeat. arbitror enim contrâ, magis congruere ca-

ritati, ut viro sancto optem & procurem beatitudinis accelerationem, quàm mihi, quia hoc ipsum est velle majorem Dei laudem & gloriam, adeoque est cõformare se voluntati divinæ: sed datâ majore cæteris paribus, nego magis congruere caritati mihi procurare accelerationem beatitudinis, & amoris beatifici, non exponendo me periculo tristitiæ, & flammæ, sed potius eis me subtrahendo, quàm procurare alteri eandem accelerationem exponendo me tali periculo: quia exponere me tali periculo, ut alter Deum laudet, ametque amore beatifico, est ostendere me maximi Deum facere, cum ejus laudis & amoris beatifici causâ paratus sim tanta tormenta subire, adeò ut propterea summum & æternum gloriæ pondus merear, quod longè superat beatitudinis meæ accelerationem.

## § 4.

*Idem probatur ab absurdis ex contraria sententia consequentibus.*

**P**RIMO consequitur aliquem prudenter, & ex perfectione caritatis facturum, si neglectis etiam parentibus, consanguineis, & amicis defunctis, omnem suam satisfactionem liberam sibi reservet: ac proinde melius, & ex perfectione caritatis, Deoque gratius fore, si patre ac matre mortuis, Sacra sibi libera suâ causâ potius, quàm illorum fieri curet, jejunia, eleemosynas, & omne opus satisfactorium sibi soli attribuat, denique per integrum vitæ tempus defunctorum immemor vivat. Quia si eorum meminerit, feretur ad opem illis ferendam; quam præstaret, effectque meriti amplioris eam sibi reservare. Consecutio clara est, quia nemo prudenter iudicabit se debitorum immunem, & Purgatorio minimè obnoxium decessurum è vitâ; cum sciat etiam Sanctos illi addictos fuisse: ergo nemo prudenter iudicabit fore, ut omni satisfactione suâ non indigeat: ergo si interpositâ conditione talis indigentia, satius est satisfactionem sibi retinere, & si pugnat contra ordinem ac perfectionem caritatis aliis eam communicare, etiam parentibus, fratribus ac consanguineis, nemo prudenter quidquam suæ satisfactionis illis communicabit; sed sibi totam reservabit. Id verò quàm sit absurdum, quàm defunctis iniuriosum, nemo non videt. Certè non arbitror quemquam ita secum agi velle ut mortuus à vivis

630.

vivis planè deferatur.

Consequitur 2. Angelos, homines beatos, animasque ipsas Purgatorii non rectè agere, dum satisfactiones petunt, saltem eorum, qui eas sibi alioqui applicarent. Applicarent enim sibi cum majori merito, quamobrem eas ab iis petere, est velle eos suâ causâ damnum subire, & quidem æternum ac summum: quod sanè non cadit in illos, nam & animæ ipsæ contra honesti leges peccare nequeunt: multò minus velle juvari cum tanto juvantium damno.

Consequitur 3. minus rectè facere Concionatores, quando exhortantur ad opem defunctis exhibendam: sed rectius facturos, si auditores impellant ad retinenda sibi, quæ defunctis communicare decreverunt. Sequela probatur: quia Christiani retinerent sibi suas preces, & suffragia, si scirent id sibi satius, majorisque esse meriti, & Deo gratius, præsertim cum ad id sponte satis ferantur. Nam quemadmodum qui cæteris paribus matrimonium potius, quam virginitatem suaderet juveni, aut puellæ hanc potius, quam illud sua sponte amplexuræ, non rectè ageret, quia cæteris paribus virginitas majoris est meriti, quam matrimonium; ita si esset majoris meriti sibi retinere, quam defunctis elargiri suas satisfactiones, malè consuleret Concionator auditoribus, si paratis sibi potius, quam defunctis eas addicere suaderet, ut defunctis illas addicerent.

Consequitur 4. neque à Religiosis, neque ab aliis purè Deum amantibus rectè postulari Sacra, oblato stipendio, si putetur alioqui pro se sacrificaturos, uti facerent illi, qui quotidie ex regula sacrificant: quia malè petas ab aliquo, etiam oblato præmio, ac mercede, ut relicto eo quod est maioris meriti, & per se magis aucturum gratiam ut meâ causâ faciat, quod est minoris, minusque gratiam aucturum, v. g. non rectè orarem aliquem, ut meâ, vel alterius causâ repudiet augmentum suæ sanctitatis, perfectionem caritatis, ad exercendum opus minoris caritatis, etsi ego ex eâ: eiectione possim multum in sanctitate proficere, quia sic positivè retardarem illum à perfectione, quod malum est.

Consequitur 5. non rectum hætenus fuisse sensum communem fidelium, nam quisque existimat se laudabilius facere ac fecisse addicendo satisfactiones, & preces suas defunctis, quam sibi reservando. Et profectò nemo Christianorum hætenus, quando aliquid dat, aut facit in gratiam defunctorum, interponit illam conditionem: Do, aut facio pro illis, si Deus prævideat

fore, ut ego ipse non indigeam; alioqui mihi reservo, quia id perfectius. Dicere autem, omnes hætenus Christianos, etiam Doctores Theologos, mysterium ac conditionem illam cujuscumque neoterici ignorasse, aut noluisse ex perfectione caritatis agere hoc in genere, ego quidem nunquam adducar, ut credam. Potius arbitror eos aliter existimasse. Cujus opinionis produximus testes Suarium, & Lugonem, sine controversiâ asserentes absolute majoris meriti esse transcribere defunctis suas satisfactiones, quam sibi reservare; etsi futurum sit ut propter illam donationem privandus sis ad tempus fruitione beatitudinis, & igne cruciandus: produximus etiam D. Thomam cum cæteris, qui censent potuisse ex perfectione caritatis à D. Paulo eligi beatitudinis privationem temporalem ut converteret Judæos. Mitto SS. Gertrudem, Liduinam, PP. Mouroyum, Fabricium, Hentinum, aliosque non modò aliquas, sed omnes, vel plerasque satisfactiones defunctis addixisse.

Dices primò etsi actus caritatis nobilior sit actu fidei & spei, non sequitur prudenter acturum, qui actus fidei, & spei tota vitâ omittat, ad exercendos actus caritatis. neque sequitur Concionatores perperam illum exhortari ad exercendos actus fidei, & spei: ergo similiter, etsi in sententiâ adversariorum nobilior sit sibi reservare suas satisfactiones, quam defunctis dare, non sequitur in ea sententiâ prudenter acturum, qui nullas totâ vitâ daret defunctis. Respondeo negando antecedens quoad utramque partem, si agatur de actibus fidei & spei seorsim sumptis. Nam qui determinatus esset ad exercendos actus caritatis, quæ summi est pretii, malè ab illis abduceretur ad actus meræ fidei aut spei, qui minoris sunt pretii. Sicut mercator imprudenter ageret, & perperam abduceretur à lucro justo duplionis hispanici ad lucrum teruncii.

Dices secundò. Etsi orare D. Virginem sit nobilior, quam orare S. Franciscum, non malè seu non imprudenter ageret, qui oratione ad D. Virginem seposita oraret S. Franciscum; ergo Respondeo orationem ad D. Virginem esse quidem nobiliorrem ex objecto, non tamen per se majoris meriti: uti in sententiâ Adversarii caritas reservans satisfactiones: Sicut ergo malè suadeas matrimonium determinato ad virginitatem cæteris paribus: ita & in sententiâ istâ malè suadeas donationem satisfactionum.

§. 5.

*Dissertatio R. P. Francisci Veckeni è Soc. Iesu, Theologi Alexandri Papæ septimi, quâ nostrâ sententia comprobatur amplioris esse meriti defunctis quàm sibi suas satisfactiones addicere.*

631. **C**UM eam positionem pro meâ tamquam discipuli facultate stabilire conatus essem, intelligens rei momentum, maximè quòd noster Arriaga nescio quâ mentis inductione contra torrentem sese objiceret, judicavi eximii Doctoris manum auxiliatricem, Francisci, inquam Veckeni Soc. IESU Theologi clarissimi, scriptum hac super re mihi exponendum esse; qui pro sua singulari in pios manes caritate, in hæc verba mihi rescribere dignatus est.

1. Accepi Reverentiæ vestræ litteras in pia causa sanctarum animarum, quibus idcirco lubenter satisfaciam; haud tamen longiori tractatu, quo res non videtur egere, sed breviori, ac fere epistolico discursu.

Petit igitur Reverentia Vestra, quid sentiam super quæstione mota à Roderico de Arriagâ Theologo recentiore, Tom. 5. in 2. 2. disp. 4. sec. 2. Utrum sit majoris meriti applicare pro Animabus Purgatorii, aliisve viventibus propriam satisfactionem, quàm eam pro se retinere: Quid deinde videatur de opinione istius Theologi, id quod quæritur, resolventis in partem negantem.

Quod attinet ad primum, idem fere sub termino actus Deo magis grati ac gloriosi, propositum mihi fuit ante annos sedecim ab Illustrissimo tunc, ac Reverendissimo Domino, D. Fabio Chisio, Episcopo Neritonensi, Nuntio Colonienfi, nunc Alexandro Septimo Pontifice Opt. Max. idque occasione Patris Hernandi de Monroy è Societate nostrâ, quem legerat apud Nierembergium in Opusculo de Purgatorio, ea suffragia quæ sibi post mortem applicarentur, resignasse scripto in alias animas.

2. Respondeo autem, sicut & tunc respondi, cæteris paribus, melius, Deoque gratius, & gloriosius, atque adeò in vita præsentis magis meritorium fore, si quis abdicet à se satisfactiones suas pœnales, & applicet aliis, & præsertim animabus Purgatorii, quàm si hisce præteritis eas reti-

neat sibi; pro cuius assertionis autoritate abundè sufficit communis sensus Christi fidelium, haud aliam ob causam suas satisfactiones & indulgentias applicantium defunctis, quàm quia id fore Deo gratius, sibi que salubrius arbitrantur. Quam eorum opinionem non reprobant Ecclesiæ Prælati, sed potiùs exhortationibus suis, & erectis talium suffragiorum Sodalitatibus approbant, & commendant. Quin etiam Pontifices variis gratiis & privilegiis Sodalitates illas in Italia & Germania institutas prosequuntur, quæ fortè est causa, cur hætenus Theologi veritatem istam, ut vulgò notam certamque supponentes, ante illum Recentiorè vix attigerint, & in dubium revocarint. Inter eos verò, qui quæstionis meminere, eam pro nobis expedite resolvit Cardinalis de Lugo de Sacramento Pœnitentiæ disp. 26. n. 16. sec. 2. Suarez verò ibidem disp. 48. sec. 2. n. 14. & 17. illud universim ponit fundamentum, unde id quod dicimus, evidenter sequatur. Adde sapientissimum tunc Theologum, nunc Theologorum omnium verticem, ac Magistrum, quem n. 1. supremo in terris titulo compellavi; Is enim lecto P. Hernandi exemplo, pro generoso suo animo tam heroicæ resolutionis specie captus, mox ad me rescripsit in hæc verba. *Probi! Quàm placuit Patri illius hoc consilium, quo sibi suffragia oblata post mortem præstanda, vivens aliis addixit.*

3. Probari meo quidem iudicio haud inefficaciter id potest ex Machabæorum 2. c. 12. v. 46. unde communiter contra hæreticos suffragiorum nostrorum pro defunctis efficacia probatur. *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* factum enim, & exemplum nobilissimum Pontificis & Ecclesiæ illius temporis ibidem non simpliciter narratum, sed per Spiritum Sanctum à sanctitate & fructu salutari commendatum, haud vulgarem tantum approbationem, qualis est matrimonii (cui Recentior talia æquiparat) sed singularem laudem, qualem virginitas, cæteraque quæ sunt consilii, adeoque de meliori bono passim referunt, rem benè expendentibus sonat.

4. Verùm ut procedamus ratione, quamvis juxta ordinem caritatis debeamus nos ipsos aliis præferre in bonis æternis, divinam gratiam & beatitudinem nostram essentialem concernentibus, insignis tamen, ac summopere commendandæ est caritatis, atque misericordiæ, bona temporalia (tametsi spiritualia) eum in finem, non necessaria abdicare nos à nobis, ut proximo indigenti succurramus, uti docent

cent communiter Theologi in 2. 2. ad q. 26. ar. 4. In præfenti autem non agitur de divina gratia, & gloria æterna, sed de temporali tantum redemptione poenarum, ergo in hac poterimus cum summâ laude antepone, nobis proximum, ac præsertim eas animas, quæ in expiatoriis flammis miserè cruciantur, earumque gratiam absque nostris suffragiis consequi ordinariè non possunt. Harum dignitatem, cæterasque conditiones, quæ merito nos ad commiserandum commoveant, satis describunt Animarum patroni, vel apud ipsum Recentiorum sub sectione 1. n. 23. rhetoricè quidem, ut ait, sed verè. Nulla suada potentior, quàm aperta veritas. Quam quomodo non elidat exceptio animæ propriæ in simili statu aliquando constituendæ, videbitur n. 6.

5. Confirmatur à simili; Æquè differtur gloria per longiorem commorationem in vitâ mortali, atque per diuturniores moras in Purgatorio; ab eximiâ tamen caritate commendantur Sancti, qui ob proximi necessitatem, vel utilitatem, desiderarunt protrahi sibi hanc vitam præ acceleratâ possessione beatitudinis: ita Apostolus ad Philippenses 1. v. 23. quamvis *cuperet dissolvi*, & Christo frui, quòd *id sibi melius*, sive commodius, atque jucundius fore agnosceret, resolvit se tamen ad permanendum in carne, & laboribus Apostolicis insistendum, considerans id fore è proximi bono, quod tantis suis utilitatibus, quantumvis spiritualibus, præferbat. Videri poterit Cornelius in dictum locum, & apud eum Chrysostomus, qui putat optionem à Deo datam S. Paulo seu tum moriendi, & regnandi cum Christo, seu supervivendi in incerto salutis, & Paulum ob lucrum animarum id posterius elegisse. Notum est insuper illud S. Martini: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*; neque abs re est, quod discipuli hoc ei persuasuri adferebant, *Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis: Scimus quidem desiderare te Christum, sed salva sunt tibi tua præmia, nostri potius miserere, quos deseris.* Quæ querela quàm rectè quadret in animas, de quibus agimus adversus avertentes suffragia, majoris, ut aiunt, perfectionis causa, videbimus paulò post: interea minimè prætereundum, quod in officio S. Ignatii fundatoris nostri à sacrâ rituum Congregatione approbato, de eo commemoratur pro lectione sexta, *Quod aliquando auditus fuerit dicere, Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim Deo servire, & proximorum salutem, quàm certum eiusdem*

*gloria statim mori.* Ecce quis fuerit sensus Sanctorum temporali beatitudini renuntiantium amore proximi, & quidem in illius aliquando adipiscendæ incerto. Cùm autem is commendetur ab omnibus, & ad imitandum ab Ecclesia proponatur, censebimus minus benè ac laudabiliter eos agere præter ordinem caritatis, qui absque ullo æternæ suæ beatitudinis periculo, quod hinc quidem nascatur, temporalem ejus possessionem differunt, in gratiam SS. Animarum?

6. Ut verò id à caritatis ordine minimè alienum, sed huic potius consentaneum ostendamus à priori, Ordo caritatis est amare Deum super omnia, deinde proximum propter Deum, & si velis, inter omnes, qui proximi nomine veniunt, proximo loco seipsum. Quid enim præterea desideratur? Hisce autem omnibus consonat actus de quo agimus: Supponimus siquidem eum elici ex motivo formali, vel virtuali divinæ caritatis, ex hoc quoque complecti eas animas cum cæteris conditionibus ad meritum, adeoque ad charitatis incrementum requisitis. Quo dato non nocet sibi caritas, aut contra inclinationem suam agit, sed huic potius obsequitur, quando temporale damnum aliquorum actuum, quantumvis nobilium, lucro habituali, & æterno abundanter compensat, quam consequentiam cùm Recentior ille concedat sub sectione 2. n. 27. & antecedens sit verum; cur queritur contra patrocinantes animabus velut gratiæ suæ, & perfectionis prodigos, alienæ causa? Haud equidem rem suam prodigit mercator, sed prudenter agit, quando exponit quinque, ut lucretur decem, quam lucri proportionem in præfenti vincit, vel minimi gradus caritativi possessio æterna, si componatur cum quocumque detrimento actuum temporalium: sic caritas ad alios pertinens potiori sui parte in se redit, & quando proximi causâ seipsam consumit, Phœnicis instar ex isto divini ardoris busto vegetior pulchriorque emergit, estque verissimum quod dici solet, qui Deum propter Deum relinquit, Deum copiosius invenit, Sicut & illud Senecæ; *Nemo non, cum alteri prodest, sibi profuit.*

7. Sed replicat Recentior se non negare affectum illum caritatis erga animas sanctas esse pium atque laudabilem, sed jubet nos æmulari charismata meliora, & excellentiorem adhuc viam demonstrat. Quâ nimirum cum pari caritatis fervore consulamus nobismetipsis, nostrumque in gloriam ingressum maturemus, quippe qui etiam Dei filii, & sponsæ in iisdem expiatoriis

piatoris flammis paribus suffragiis indigebimus. Verum hic non apparet in quo major illa perfectio consistat, sed potius unde à priori deficiat: Objectum utrobique est idem Deus propter se amandus, & proximus propter Deum, eadem, ut supposui, intensio caritatis. Quibus solis consideratis non erat unus actus præ alio deprimendus: sed habendus uterque eodem loco. Superest ergo ut circumstantias personarum & operis expendamus: Personæ sunt, ego & proximus; opus, evolare statim in cælum cum summâ facilitate, & gaudio, & differre ingressum cum difficultate, & tormentis. Etsi n. 4. viderimus amorem sui in necessariis ad essentialem beatitudinem esse anteponendum amori proximi, utpote in talibus divinitus præceptum, in liberis tamen sive indifferentibus, ad eandem, amor proximi tam à Philosophis, quàm à Theologis, cæteris paribus, præfertur proptio amori. Ex parte operis quoque ab utrisque consideratur arduitas, & difficultas, atque pro eius pondere honestas. Jam verò uterque amor quem inter se componimus, versatur in materiâ liberâ; ille respicit bonum, & commodum proprium, per modum concupiscentiæ, ille alienum per modum amicitia, ille nihil habet difficultatis, hic sane plurimum, quidni ergo idem hic amor, qui proximum spectat, honestate sui ac merito præferatur alteri?

8. Utque quod attigi de difficultate, amplius perpendamus, nihil in Ethicis vulgatius, quàm illud Aristotelis lib. 2. c. 4. *artem & virtutem in arduo versari*, imò tum cerni magis, & perfectiorem haberi, cum versatur in difficilioribus, illam insuper, quæ alterum respicit, cæteris paribus, esse perfectiorem eâ, quæ sui tantum subiecti bonum concernit, ex eodem Philosopho tradit apertè D. Thomas 1. 2. q. 64. a. 4. & 2. 2. q. 58. a. 12. ubi inter virtutes morales in appetitu, seu voluntate sitas, defert primas justitiæ, quòd non listat intra operantem, sed hunc potius in bonum & commodum alterius perficiat, quæ est eminentior quædam ratio honesti, quàm quæ proprii subiecti limitibus concluditur. Nunc autem contemplemur duas animas mox è corpore egressuras: cupiat una esse cum Christo, utque tantò citiùs id fiat, omnes satisfactiones, atque suffragia quæ suæ fuerint potestatis, ad moram omnem, quantum per ea licebit, redimendam, retineat sibi, inque finem jam memoratum applicet; sed altera animo, vel scripto resignet omnia in solatium aliarum animarum, & tantisper differat sui præsentiam

cum Christo, seque acerbissimis Purgatorii tormentis cruciandam exponat. Utraque, uti rursus suppono, id facit ex caritate, cuius spiritus, ut loquitur Sapiens, *unus, & multiplex*, ad eundem quidem finem, sed non uno semper modo, verum multiplici, & pro sua inspiratione vario nos movet. Cumque ambæ hætenus sint pares, quid in victoriam conferet illa, quæ Recentioris Theologi opinionem secuta, seipsam prætulit aliis animabus? Aliquid quidem, cum & hoc sit honestum, sed non amplius, quàm comprehendi queat hac Christi sententiâ Math. 5. v. 46. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt?* ubi Christus non omnem talibus mercedem abjudicat, amicos enim diligere, & benefactoribus reddere vicem, est per se bonum, atque honestum, ideoque suo quoque præmio dignum; sed mercedem illam eximiam, & singularem, quam referunt *qui diligunt inimicos suos, & benefaciunt eis, qui oderunt eos*; hæc siquidem ob summam operis difficultatem est amplissima, cuius ratione prior illa nihili instar obtineat: Similiter amor ille, quo sibi quis consulit, non est omni mercede indignus, sed cum juxta jam dicta nobilitate cedat amicorum amori, mercede hujus minimâ adhuc reportabit minorem: Parum ergo momenti ex istâ parte ad victoriam accedit. At quantum ex alterâ? *Maiorem hæc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis*: dicit Dominus, Io. 15. & apud Apostolum 12. ad Hæbreos in heroicum omnis perfectionis exemplum nobis proponitur, *Author fidei, & consummator IESVS, quando proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusionis contemptâ*, quæ duo ex hac parte concurrunt in excellenti gradu. Nihil quippe est aliud subire aliquandiu Purgatorium pro proximo, quàm mille mortes pro eodem obire. Offeritur quoque jam jam morituro ingressus in gaudium Domini sui, expeditus per suffragia obtenta, sed ille Christi secutus exemplum tantisper renuntiat gaudio, cumque omnis pœna exprobratio quædam sit culpæ ob quam incurritur, dum sponte se objicit Purgatorii pœnis, confusionem quoque inde natam sustinere non detrectat, unde in promptu est discernere de victoriâ, & caritati erga defunctos lauream deferre.

9. Dices: si ea sit victoria caritatis erga proximum supra dilectionem sui, saltem in liberis, sive non præceptis, cur natura, seu Deus mandavit unicuique suæ potius salutis studium, quàm alienæ? respondeo id factum

factum non ratione actûs per se excellentioris: sed majoris necessitatis. Oportebat enim omnibus singulisque provideri de aliquo, qui attenderet ad salutem eorum: Quibus autem prius seu potius incumberet id onus, quam cuique erga seipsum? Præter se nemo semper sibi adest, nemo novit sua arcana, animique statum, unde salus maximè pendet; nullus præterea inspicit, nullus ad omnes salutis obtinendæ vel amittendæ occasiones oculos magis vigiles, atque attentos habet, nemo denique magis quemquam habet in potestate, quam quisque seipsum. Huic ergo prior ac potior sui cura debebat committi, tamen non spectaretur major perfectio actûs; quamvis & hanc in propriæ salutis studio universim considerato intervenire non negem, quandoquidem id exigat animum ad omnia Dei mandata per totam vitam servanda comparatum, & ad omnes tentationes, quantumvis graves, quæ interea occurrerint, superandas. Verùm hic subsidiariam illam erga pias animas caritatem conferimus, non cum toto genere proprii amoris, sed cum illo præcisè actu, quo quis superatis ante cunctis difficultatibus, etiam iis, quibus conqueri debuerit suffragia, in cœlum jam velut apertum promicat, quo vix ullus facilius concipi potest. E contrario nullus difficilius, quam quo sistitur ille imperius, maximè per moram ad eò tristitem atque acerbam atque in Purgatorio trahitur.

10.

Ex hæcenus dictis colligitur actus resignativi suffragiorum excellentiam præ opposito ejus, in duobus præcipuè fundari, primò quòd sit ad alterum, & benefactivus, unde & illam à Christo Domino laudem participat, quæ refertur Act. 20. ver. 35. *Beatius est magis dare, quam accipere*, quo etiam spectat accepta retinere. Deinde quòd insigni difficultate, & sui ipsius victoriâ præfulgeat. Circa quam occurrit quòd alicubi tradit Blossius: ex duobus viridarium ingressis, quorum unus carpit florem, ut in eo Deum glorificet: alter ejus amore continet manum; hunc qui propter Deum florem dimittit, tanto amplius mereri præ decerpente, quantum distat cœlum à terra: Quidni dicamus de dimittente tantisper florem cœlestis gloriæ propter amorem Dei, & animarum, si comparatur cum illo, qui gloriosa ipsius specie captus avidas illico in eundem injicit manus?

11.

Et hæc de prima quæstione spectante rem ipsam. Ad alteram circa opinionem Recentioris, video quidem more istius Doctoris eam eruditè deduci, sed præterquam quòd sit falsa, inde plurimum præ-

habilitatis amittit, quòd tam levi, imo nullo ferè fundamento à communi sensu, ac pietate discedat. Totum namque quòd adfert pro se Recentior, fundatur in ordine caritatis, quo quis se in spiritualibus debeat proximo præferre, à quo declinet, qui malit aliam animam præ se citius frui Deo, & sic præ se amplius Deum amare, colere, laudare. Sed huic fundamento jam occurrimus duplici via: prima erat, quam inivimus n. 4. & 5. Ordinem illum dari in solis necessariis ad salutem, in aliis non: alteri institimus à n. 6. permittendo ubique talem ordinem, sed negando ei contraveniri per suffragia animarum, cum id totum quòd hinc ad tempus suffragatori decedit, levi flexu, sive circuitu ad eum redeat cumulatè. Juxta priorem, caritas, non quærens quæ sua sunt, ingenuè poterit dare gloriam Deo, dicendo: *Domine obsequium illud temporale in cœlis non exiges à me, aequale, vel maius ibi præstabit tibi hæc anima, cuius tantopere afflictæ misereri cupio propter te: lauderis igitur, & glorificeris tantisper per illam, donec & ego simul maiestatem tuam glorificaveris accedam.* Juxta alteram viam res est expeditior, Dicit enim patronus animarum, *Mavis Domine te à me laudari, ut octo, per reliquam aternitatem quam per annos decem, vel viginti amplius, atque deinceps tantum ut sex: parere igitur ut hanc laudem cum priori commutem tanto meo lucro, & nullo gloria tuæ damno, circa quam illum etiam temporalem defectum abundè supplebit anima, cui suffragia applico.* quo modo si res proponatur, non verò tam crudo ac rustico, ac proponit Recentior, *Malo Domine alios tibi servare, quam me*, haud video quid Christianæ prudentiæ, aut perfectiōnis in hisce dictis, sive enuntiativis, sive affectivis, jure à quopiam desiderari queat.

12.

Adde majori adhuc compendio sic posse rem geri, renuntio Domine temporali gaudio in cœlo propter animam istam, paratus interim te laudare, & glorificare in temporalibus tormentis apud inferos, quòd non minus Majestati tuæ placitum confido. Quidquid enim dicat Recentior de excellentia actuum, quibus vacant Beati inter gaudia cœlorum, non est dubium quin valde etiam Deo placeant humilitas, patientia, resignatio in voluntatem divinam, & suæ cum illâ conformatio, divinæ Justitiæ adoratio, & laudatio, cujus affectus in sese experiuntur, aliæque heroicæ virtutes, quas sanctæ animæ exercent in flammis purgantibus, & quarum practicheonestati non est locus in cœlo. Sitne

autem honestas hæc major, quam aliorum actuum cælestium, solus is novit, *qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura.* Esse sanè aliquid in tribulationibus hujus vitæ, adeoque & Purgatorii, quod præ gaudiis etiam cælestibus placeat Deo, demonstrarunt subinde cælestes ipsi, quando ut S. Melctildis apud Blossum, aliique retulere, visi subinde sunt piè queri, ac sanctâ æmulatione erga mortales accendi, quòd non perinde ac ipsi, exempli causâ, Stephanus inter lapides, aut Laurentius in craticulâ possent pati in cœlis.

13. Minime verò probare possim actum illum, quem nobis suadet Recentior n. 30. & 36. in dispensatione suffragiorum nostrorum, *Domine quidquid scis mihi fore non necessarium, applico statim pro tali, vel tali animâ:* Et si enim sit licitus & honestus, haud eâ tamen laude præcellit, ut sub consilium cadat. Siquidem suppono idem hîc esse necessarium, quod utile ad redimendas proprias pœnas, sicuti ipse Recentior se explicat. Suadet igitur, ut solas satisfactiones nobis numquam profuturas, ideoque inutiles transcribamus aliis animabus: in quo sanè exigua liberalitas est. Elevatur valde apud Juristas donatio mortis causâ, præ donatione inter vivos, quod in hac donatarium quis præferat sibi, malendo penes illum esse rem, quam penes seipsum; in illâ soli eum hæredi anteponat, volendo donatarium re frui præ hærede. Quantò igitur plus est præferre proximum sibi, quam alteri, tantò potior est donatio inter vivos, alia ista specie largitionis. Per actum autem quem Recentior præscribit, non potioram illam donationem imitamur, sed sequiorem: cavemus siquidem ne quidquam vel minimum ex spiritualibus emolumentis detrahamus nobis, nimis in hoc parci, & spiritualiter avari. Quam tenacitatem licet idem Author commendat in spiritualibus, credibilis tamen est etiam in his latius porrigi liberalitatem, & primam illam, & excellentiorem donandi speciem non excludere, & alioqui non in satisfactionibus tantum ad redimendam pœnam, sed etiam in orationibus, & sacrificiis ad beneficia impetranda deberemus idem Recentioris consilium sequi, volendo pariter ea prodesse proximo, hac solum ex parte, quâ nobis nullum emolumentum spirituale adferre possunt. Est enim par ratio, quod nos ipsi in spiritualibus obligemur nobis præ proximo: quo dato, ubi & quando in spiritualibus, quæ tamen sunt maximè propria ejus bona, dabitur locus caritati, non quærenti quæ sua sunt? Quantò angustior, ne dicam

illiberalior erit in Ecclesiâ communio Sanctorum, quam communicatio politica in Republicâ profanâ? Commendatur quidem in spiritualibus quoddam avaritiæ genus, quo quis ad bona illa attentus sit; eorum occasionem non negligat; jam parta non defodiat in terram, aut prodigat sine causâ: verum quæ quis ex misericordiâ expendit ad sublevandam calamitatem proximi, haud inutiliter dissipat, sed quam optimè collocat, & dispensat prudenter. Hactenus & solidissimè Veckenus.

§ 6.

*Corollaria ex Dictis de præstantia  
meriti in satisfactionum  
suarum largitione  
positi.*

**C**ONFICITUR 1. Præstare plures, quam pauciores satisfactiones in defunctos transcribere, nam si duas tresvè transcribere honestum & laudabile est, cur non laudabilius esset, quatuor, quinque, pluresvè transcribere, cum sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis?

632.

CONFICITUR 2. Præstare omnes suas satisfactiones iisdem largiri, quam aliquas sibi reservare. Etenim prius illud majoris est meriti, quia majoris ac robustioris caritatis nullo sui detrimèti respectu, nullo, inquam, metu vel tristitiæ ob retardationem gloriæ, vel aliorum tormentorum purgantium, quæ tuis satisfactionibus redimere posses, iis omnibus in gratiam defunctorum abdicare te, atque ad eò pœnis ingentibus te subdicere.

At dicet aliquis 1. Si donem illis omnem meam satisfactionem, fortè mihi tantum pœnæ hac in vitâ tolerandum erit, propter præteritas, præsentisque, ac futuras noxas, ut non sim ferendo: ac proinde novam, gravemque impatientiæ ac fortè desperationis noxam sim commissurus. Verum, mi homo, intellige caritatem istam tuam, æquè, ac magis obstituram impatientiæ alioqui erupturæ, atque reservationem tuarum satisfactionum. Nam caritas illa obtinebit auxilia ad patienter ferendum quidquid eveniet. Adde pertinere ad divinam bonitatem non sinere, ut propter caritatis eximium officium, auxiliumque optatissimum, amicis suis ac Sponsis carissimis præstitum, in noxas incurras, quas absque eâ caritate fuisset, non incurrisse.

Dices 2. Christus nos docet orandum esse

esse Patrem æternum, ut dimittat nobis debita nostra, ergo ex illius saltem consilio pro veniã pœnarum à nobis debitarum orandum est; ergo non est perfectius omnes satisfactiones defunctis concedere. Respondeo 1. Maldonatum, & alios Interpretes, debitorum nomine solas noxas intelligere. Respondeo 2. Esto dicamus cum Suario etiam intelligi pœnas noxis debitas; tamen non semper Christum proponere quod est perfectius, nam vult peti panem quotidianum, quod minoris perfectionis est, quàm inimicis benefacere. Respondeo 3. Etiam cum pro nostris debitis dimittendis precamur, applicari posse defunctis satisfactionem ejus precis (alioqui numquam totam orationem Dominicam iis applicare liceret) & si fiat, perfectius id fore, quàm si eam nobis applicarem.

Dices 3. Non expedit, ut maneam objectum iræ divinæ, quò defunctis faciam benè: atqui hoc fiet, si addicam illis meas satisfactiones, præsertim si omnes; eo enim pacto manebo tota vitã, & semper objectum iræ divinæ; quod probatur, quia manebit reus pœnæ, adeoque dignus, in quem irã, seu Justitiã divinã deserviat; unde sequetur ut minus sim dignus gratis actualibus. Respondeo distinguendo majorem non expedit, ut maneam objectum iræ divinæ ad subeundam pœnam temporalem, quò defunctis benefaciam, nego; ad subeundam pœnam spiritualem, id est, detrimentum gratiæ vel habitualis, vel actualis, concedo, neque illud hic subitur, quia etsi concederetur ex reatu pœnæ sequi, ut minus dignus sis gratis actualibus, per se loquendo; tamen defectum illum ea caritas abundè supplet: & ratio est, quod solutio pœnæ illum tollat, quæ solutio est actus pœnitentiæ, vel justitiæ vindicativæ, quæ profectò cedit tantæ in pios manes caritati.

Conficitur 3. Præstare defunctis, quàm sibi applicare indulgentiam Communionis Generalis, aliamque alterutris applicabilem. Sequitur ex priori ratione. Accedit, quod sæpius concedantur indulgentiæ in vivorum, quàm in defunctorum gratiam. Quare vivi poterunt iis uti, & facilius perfrui ob præstantiam caritatis, quæ una maximè hominem parat ad facilè consequendas indulgentias, ut post dicam.

Conficitur 4. Etiam sub vitæ finem omnem satisfactionem nostram laudabilissimè addici defunctis, quia tunc maximè caritas illa excellit, cum malum Purgatorii jam imminens majorem sui metum creare natum sit, quàm procul positum.

Conficitur 5. Etiam præstare satisfac-

tionem illas, ac suffragia, quæ mihi mortuo à fratribus Religiosis, aliisque donanda sunt, defunctis, quàm mihi reservare, si quidem aliis concedi possint, quod negat de Lugo, ut post videbimus. Quia caritas maximè heroica est, paratum esse diutius in Purgatorio hætere auxilii expertem, ut alii tantis tormentis liberi in cœlum evadant.

Quæres, an etiam præstet defunctis, quàm vivis eas applicare? Respondeo affirmativè, quia majoris misericordiæ: quoniam defuncti magis, quàm vivi indigent, nec possunt se juvare ut vivi. Adde defunctos Deo esse viciniore ob amoris præstantiam, & certitudinem beatitudinis.

Dices, si ponatur, quod aliquando ponendum videtur, vivos, nisi pro iis satisfactiones tuas Deo offeras, pœnæ impatientiã in scelera, atque in desperationem, interitumque ruituros, præstat vivis, quàm mortuis satisfactiones suas erogare: quod probatur, quia positã illã conditione, misericordia in illos est Deo gratior, cum calamitas major sit privari gratiã, & exponi periculo damnationis, quàm omnis fidelium defunctorum pœna sensûs & damni.

Respondeo 1. Hypothesim illam ut plurimum non esse admittendam, tum quòd pœnæ hujus vitæ solent esse paternæ, & elicere correctionem eorum, qui à Deo castigantur, tum quòd applicando iis solas impetrationes, seu orationis, seu aliorum bonorum operum, potest ea impatientia & desperatio averti; & propterea expedit ei, qui erga defunctos largus est satisfactionum suarum, esse quoque largum impetrationum in peccatores, sic enim & hi ejus ope præmium patientiæ æternum consequentur, quod numquam cõsequuti essent, si materia patientiæ illis subtracta esset per satisfactionem ejus iis applicatam.

Respondeo 2. Quòd si ponas impetrationes non suffecturas depellendæ desperationi, & exitio æterno, tunc concedam cæteris paribus præstare vivis aliòqui damnandis transcribere suam satisfactionem, quatenus necessaria, & sufficiens erit ad depellendam culpam, ac damnationem, quia animam unicam salvari, aliòqui damnandam, plus est ad Dei gloriam quàm totum Purgatorium exhauriri, cum illa æternũ odium innumerasque blasphemias concepturã fuisset in orco, & æternas Dei laudes, infinitasque in cœlo sit depromptura.

Dixi cæteris paribus præstare in eã hypothesi applicare satisfactiones vivis, quia cum fere constet semper in Purgatorio versari aliquos ex parentibus, consanguineis, & amicis, quibus caritas & misericor-

dia me obligat, præstetque obligationi satisfacere, quam meræ caritati & alioqui vivi possint se juvare, atque ad eò non sint in extremâ necessitate salutis, cum possint esse patientes, præsertim positâ meâ impetratione gratiarum, simpliciter loquendo præstat me satisfactiones meas mortuis, quam vivis applicare: Adde quod satisfactiones defunctis applicando, alioquorum exilium, quod restabat breve, ita contraham ut statim in cælum evolent; quos ego vice versâ orare possum, ac debeo, ut eos qui satisfactione meâ indigere ponuntur, orationibus suis, & gratiâ suâ apud Deum adjuvent, ne desperent. Quo pacto efficacius, quam per meas satisfactiones illis applicatas subsidium nanciscentur, atque ita objectio illa planè soluta videtur. Confirmatur ex D. Thoma, qui supplementi 3. P. q. 7. a. 5. ad 2. *Magis, inquit, acceptatur suffragium pro mortuo, quam pro vivo: quia magis indiget, cum non possit sibi auxiliari sicut vivus potest.*

Quæres an præter facere opera injuncta ad lucrandas sibi Indulgentias, quam alia bona præstare in gratiam defunctorum: Respondeo probabiliter prius præstare, quia ipsorum etiam operum ad lucrandas Indulgentias præscriptorum satisfactionem potes defunctis applicare, & interea insuper lucrari Indulgentias. Quod probatur, quia ex probabili sententiâ opera illa tantum requiruntur, ut conditio; satisfactio autem eorum nec jubetur applicari, nec deservit ad fines ab Ecclesiâ proponi solitos: sunt enim hi, Exaltatio S. Matris Ecclesiæ, maximè in spiritualibus, depressio hæreticorum, aliorumque ejus hostium, Concordia Principum: ad quos fines sola impetratio favorum cælestium utilis est.

## ARTICULUS II.

*Expenditur præstantia caritatis ejus, qui defunctis addicit suas satisfactiones, ex natura satisfactionis.*

### PARS TERTIA.

*De boni operis efficacia & Theologis.*

**A**NTEQUAM ad rem propiùs veniam, de efficacia boni operis nonnulla breviter præmitto. Triplici enim virtute

præditum est quodlibet bonum opus hominis justii. Imprimis, gratiæ habitualis in præsens, & in futurum gloriæ cælestis incrementum meretur: Deinde satisfacit obligationi lucendarum pœnarum nobis debitaram, postremò vim habet subsidia impetrandi ad vitam rectè ac Christianè ducendam opportuna.

Porro vel gratiæ, vel gloriæ incrementum, seu meritum alteri haudquaquam donari potest. Etenim contra caritatem sibi debitam pugnaret quis, ad alterum suis meritis locupletandum. Quippe Christianæ caritatis ordo exigit, ut sibi primùm, tum alteri aeterna bona procuret, ut sunt gratia sanctificans, & gloria. Adde ex contrariâ sententiâ sequi, quempiam vel fieri Deo minus gratum, quòd Christianam caritatem exerceat, nempe antiqua merita, gratiamque cum aliis communicando, vel eadem charitate exhibitâ, non fieri eidem gratiores, nempe nova merita in alios transferendo: quod utrumque absurdum est.

Satisfactio verò cum altero communicari potest, vel etiam tota illi concedi. Si quidem ita instituit Numen, uti colligitur ex Theologorum consensu, atque Ecclesiæ sensu, quem declarat Catechismus Pii. V. qui ubi de pœnitentia tractat, sic habet, *In eo summa Dei bonitas, & clementia summis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio posset satisfacere.* Accedit ratio, quòd opera hominis justii digna sunt, quæ Deum Judicem sic placent alteri, cui applicantur, ut pœnam temporariam ab eo non exigat, præsertim cum satisfactio operibus illis inclusa, non minor sit illâ, quam pœnæ reum ad satisfaciendum pro se exhibere oportuisset.

Denique constat impetrationem piis operibus contentam cum aliis communicari posse. Sic enim sensit David, qui pro impetrandâ filii ex Bersabee nati incolumitate jejunium, precesque Deo obtulit. Sic quoque rem se habere expertus est ille paralyticus, qui propter aliorum ejus bajulorum fidem à Christo curatus est. Sic denique fusæ pro aliis preces iisdem profunt juxta illud Jo. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem,* unde arguitur impetrationem aliis quoque operibus contentam posse donari aliis, ac prodesse. Et cum impetratio etiam ad pœnæ remissionem se portigat, eamque obtineat, ut patet in beatis, quorum orationes ab Ecclesiâ exposcuntur ad obtinendum defunctorum

633.

*Meritum alteri dari non potest.*

634.

*Sed satisfactio.*

635.

*Et impetratio.*

## Patrocinium Defunctorum. *Lib. II.* 215

functorum levamen, conficitur eum quoque impetrationis fructum defunctis transcribi posse.

### PARS SECUNDA.

#### *Charitas inde Demonstratur.*

636.  
*Præstantia  
satisfactio.  
nis quod à  
gratia pro-  
cedat.*

**H**IS igitur præmissis demonstro primum excellentiam charitatis, de qua sermo est, ex præstantiâ operis, quo charitas ipsa piorum manium debita persolvit. Cùm enim duplex præstantia, nobilitatque spectari possit. Prior sanguinis ac natalium; Posterior, virtutis, hæc utraque operi satisfacere efficaci præcipuum affert ornamentum. Siquidem parens ejusmodi operis non alius esse potest, quàm homo divina ac sanctificante gratia instructus. Enimverò gratiâ vacuus cum Numinis inimicus sit, quidquid agit, nullius apud ipsum pretii est, tantum abest, ut pro aliis faciat fati, iisque veniam obtineat. Porro minima gratia sanctificans usque eò hominem provehit, ut altiùs ascendere non possit, nisi, quod fieri nequit, fiat naturalis Dei filius: quippe cùm efficiat filium ejus adoptivum. Quamobrem & opus quod necesse est, ut à tali homine proficiatur, nobilissimum esse oportet: & charitas cujus auspiciis, atque imperio, opus illud patrat, in gratiam piorum manium, vulgaris esse non potest; Id quod exemplis partim humanis, partim divinis illustratur. Constat namque supplicationem alicujus Principis, aut Reginae absque qua esset, gratia reo impetrari non posset, multò pluris æstimandam esse, quàm plurimorum aliorum mixtas lacrymis obtestationes. Ita enim Reginae Estheris pro populo Judaico apud Assuerum deprecatio haud dubiæ maximi facta est. Ita Jonathæ apud Saulem Regem pro amico Davide oratio: ita Moysis, & Samuelis apud Deum preces, eò precisè, quòd à tantis viris funderentur, plurimum ponderis habebant: quoniam nobilitas operis, ac præsertim orationis ac satisfactionis, ex dignitate operantis atque orantis efflorescit. Quod etiam in Christo maximè manifestum est: quippe cujus vel minima actio propter infinitam personæ ipsius divinæ excellentiam infiniti meriti ac satisfactionis est. Ut igitur ea Christi charitas, qua nobis, nostroque usui opus aliquod faciebat, propter operis ipsius præstantiam, summopere laudanda erat, ita quidquid homo Dei filius adoptivus præstat piorum manium causâ, non mediocri charitatis censendum est. Vis

nosse distinctè illius decus ac pretium? nemo peritus non immenso pluris eam æstimet, vel ex hoc capite nobilitatis, quàm omnium simul Reginarum, ac Principum supplicationes pro reis, quando dignitas filii Dei adoptivi eas omnes dignitates immensum superat: certè longè magis quàm Rex, qui toti terrarum orbi dominetur, infimum omnium mancipium.

Sed hæc etiam clariùs elucescent ex infinità operis satisfactorii nobilitate. Exploratum enim est oportere esse supra naturam elatum, & dignum præmio vitæ cælestis, & æternæ. Quatenus autem supra naturam situm est, primum dignitate vincit, quidquid naturæ finibus circumscribitur. Itaque illud in gratiam defunctorum præstare, amplius est quàm si universam naturam, si intelligentiam, vimque motricem Angelorum, si hominum peritiam, ac facultates omnes, si omnium elementorum virtutes, si universas mixtorum vires eorum commodis impenderemus.

Deinde si ejusdem dignitatis supernaturalis ratio habeatur, constat opus satisfactorium duplicem sortiri infinitatem. Priorem ex objecto illius, quod est Deus; ad eum enim opus supernaturale refertur: Posteriores ex suo principio, quod aliud non est, quàm Spiritus Sanctus. hic enim & animum agit, movetque ad opus supernaturale, & illud efficit. Itaque charitas hominis pro piis manibus satisfaciens, eo quidem respectu, & ipsa quamdam habet infinitatem, quoniam id præstat illorum causâ, quod ea duplici ratione infinitum est. Quamobrem quid inveniri potest in historiis vel sacris, vel profanis, quod eam aliquatenus saltem adumbret? Nam si Assueri in Estherem charitatem proferas, ei significantis ut quidquid in votis esset, ab ipso peteret; enimvero vel dimidium Regni impetraturam: certè illa velut ebullitio amoris est, nec dubium, quin si postulatum fuisset, amor, ardorque promittentis, non modo tamquam iniectâ frigidâ deferbuisset, sed fortè etiam in furorem adversus Reginae tam insolentem petitionem mutatus esset. Si Joiadæ summi Sacerdotis fidem, amoremque adversus Joas puerulum exaggeres, quippe cui vitam regnumque Judaicum servavit, confirmavitque, id officii non tam amoris, quàm iustitiæ fuit: hæreditario enim iure partum reddidit, quod iniuste, aut sibi retinuisset, aut Athaliæ impiæ matri reliquisset. Si tum aliorum Regni hæredum, tum recentem Christianæ Sueciæ Reginae abdicationem regni in cognati sui gratiam iactes, hæc sanè, & huiusmodi

637.  
*Et ex opere  
supernatu-  
rali.*

638.  
*Atque adeò  
infinitæ  
dignitatis  
sit.*

hujusmodi donationes, studio magis salutis donantium (quæ salus in hisce dignitatibus periclitari solet) aut aliis proprii commodi potius, quam alieni causâ institutæ sunt; & si fortè secus interdum contigerit, quidquid per eas amicorum gratiâ præstitum est, leve ac fluxum fuit: at quod, ad satisfactionem pro defunctis refertur, opus immensi pretii, ac dignitatis est: & cum alia ab hominibus fiant, ac viribus humanis, hoc non nisi auctore, & impulso Numine potest parari.

639. *Et dignum gloria caelesti.* Quæ laus quidem summa est: sed tamen non parva illi accessio fit ex eo, quòd idem opus ad satisfaciendum idoneum, pariter dignum esse debeat caelesti æternæque mercede. Nam quodcumque opus hac dignitate pollet, eam ex meritis Christi fortitur. Nec enim ullus hominum labor quantuscumque, cum finiti pretii sit, dignus esse potest immensâ æternæque mercede. Itaque eadem Christi merita opus illud velut imbuunt. Et cum illa non ex aliquâ particulari ejus actione, puta passionem, aut morte profecta sint, sed ex universis ac singulis actionibus, consequitur ad dignitatem operis, quod charitas Christiana piorum manuum satisfactioni impendit, singulas & universas ejusdem Redemptoris actiones decus suam ac pretium contulisse: Ex quo quanta sublimitas in opus illud manet, quis, nisi Deus, exponat, cum minor esse nequeat infinita?

640. *Hinc patet nobilitas istius caritatis.* Charitas igitur illa, quæ tam nobile opus liberandis defunctis adhibet nonne hac quoque ratione quamdam sortita est infinitatem? Offert Elisæus Vates Sunamitidi hospiti suæ, suam apud Regem operam, commendationemque, ad aliquod beneficium obtinendum; nec dubium, quin quisque pignus hoc grati animi plurimi faciat. Joab Thecuitidis; suæque operâ impetrat Absaloni veniam à Davide parente, & aulae regiae ingressum, conspectumque Regis; quis ambigat, quin ea charitas magni æstimata, & Absaloni antiquissima fuerit? Juditha pro Judaici populi salute, vitam in summum discrimen adducit, gratiam apud Holofernem adhibet, & diurnas nocturnasque ad Deum preces, & partâ victoriâ ac salute audit sibi à Sacerdotibus, primoribusque populi accini, *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificientia populi nostri*, Judith. 15. Judas Machabæus gladium aureum accipit à Jeremiâ Prophetâ jam mortuo, quo gladio hostes Israël debellet, eumque in libertatem asserat; quis hoc munus non in maximis numeret? At si conferas ista cum opere unico, quod amicis manibus

charitas Christiana adhibet, universa nihili penduntur. Quid enim Elisæi apud Regem Israël gratia, ad gratiam meritumque Christi apud æternum Patrem? Quid Joabi ac Thecuitidis deprecatio ad ejusdem orationes? Quid Judithæ vita, ad vitam Redemptoris? Quid gladius ille Jeremiæ, ad ejusdem Christi potentiam? & ecce gratiæ Christi, & orationis, & vitæ universæ, & potentæ, operi vel unico in gratiam defunctorum præstito, vis & pondus transfunditur: quare caritas, quæ exhibet illud opus, omnes Christi actiones eorundem causâ repræsentare Deo Patri censenda est, quoniam illud repræsentat, ad quod efficiendum, ornandumque tota ejusdem Servatoris vita desudavit: quanto igitur in pretio esse debet?

Nihil dico de universis ejusdem Christi 641. *Maximè quod præter Christi merita etiam ejus satisfactiones ad idem opus concurrant.* satisfactionibus, quæ eidem operi applicantur. Par enim est earum ac meritum ratio. Illud tantum assero, qui satisfactionem vel unicus operis defunctis transcribit, simul omnes Christi satisfactiones applicare, atque adeò immenso amplius jus largiri, quam si omnium Apostolorum sudores, Martyrum cruciatus, Confessorum pœnas voluntarias, Virginum severam castimoniam, Deo in eorundem gratiam offerret. Charitas igitur, quæ non unius satisfactionem operis, sed plures offert, ac toties universas Christi satisfactiones Deo Patri repræsentat, quanti demum facienda est! Quanta (si omnes illis condonat) donationis excellentia! quanta charitatis?

### ARTICULUS III.

*Expenditur ejusdem charitatis præstantia ex beneficio liberationis à pœna damnæ, Et sensus.*

#### P R Æ F A T I O.

642. *Beneficium magnitudo charitatis mensura est.* PERSPECTUM est ex magnitudine beneficii ac doni, quod vel charitas, vel misericordia calamitosi procurat, æstimandam esse utriusque laudem. Nec enim ambigi potest, quin cæteris quidem paribus, laudabilior sit ea charitas, quæ plus perficit amici causâ, quam quæ minus. Quemadmodum etiam exploratum est, si cætera quoque sint paria, pluris faciendam esse misericordiam, ac liberalitatem, quæ

quæ pretiosius aliquid largitur misero, aut cum è graviore miseria eripit. Ita Nathan Propheta Davidi exprobraturus Dei nomine adulterii sui, & cædis crimina, atque adeò ingentem in ipsummet Deum ingratitude, illius in eum munificentiam, charitatemque, ex beneficiis metitur; *Hæc, ait, dicit dominus Deus Israël, ego unxi te in Regem super Israël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui, & uxores domini tui in sinu tuo, dedi que tibi domum Israël, & Iudæ, & si parva sunt ista, adiciam tibi multo maiora, quare ergo contempsisti verbum Domini?*

2. Reg. 12. ubi majorum beneficiorum nomine spiritualia dona intelligi possunt, quæ, & multò excellentiora sunt, & munificentiam Numinis in Davidem magis demonstrant. Et ipse Regius Psalteres, dum divinam misericordiam commendat Ps. 106. cujus hoc initium: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius*, omne genus miseriarum humanarum exponit, quas in quatuor dividit, nempe famem, sitimve, item captivitatem, mortem ac naufragium: dumque singularum à Deo depulsionem commemorat, quater repetit illud suum intercalare: *Confiteantur Domino misericordia eius, & mirabilia eius filiis hominum*, ut indicet misericordiam eò magis prædicandam, quò plures, majoresque miseriæ sunt ab ea depulsæ.

Cùm igitur miseriæ, quas nostra in defunctos charitas depellit, omnes hujus vitæ longissimo intervallo superet, & beneficium, quod eis confert, omnia hujus vitæ beneficia; consequitur, ut ex eo quoque capite summa ac nobilissima sit. Quod ut more nostro latius demonstremus, primò de animarum à pœna damni, tum à pœna sensûs liberatione, postremò de beatitudinis cælestis acceleratione erit agendum.

§. 1.

De pœna Damni.

643.  
Confertur  
liberatio à  
pœna damni  
cum liberatione  
Hebræorum  
ab Ægypto.

IGITUR asserere vel unicam animam à miserabili illa lustralis ergastuli captivitate non potest non esse eximium. Et enim non dubium est, quin omni aliâ captivitate ac servitute longè sit funestior. Itaque rectè quidem Ecclesiasticus Moysem populi Hebræorum Salvatorem celebans, *Dilectus*, inquit Eccl. 14. *Deo, & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est, similem illum fecit Deus in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in*

*timore inimicorum, & in verbis suis monstravit placavit.* Nempe dum eum ob plagas decem Ægypto immissas, Pharaò & Ægyptii velut fulmen, & velut Jovem suum tonantem timerent. Sic enim factum, ut Moyses tandem extorserit ab illis libertatem Hebræorum, quos Pharaò beneficiorum Josephi immemor, & regno suo metuens à nimia gentis illius multiplicatione, opprimere conatus erat, partim gravissimorum onerum impositione, partim infantium recens natorum suffocatione per obstetrices, partim eorundem in Nilum demersione. Quibus omnibus ex voto minimè succedentibus, Moyses Ægypti victor, Hebrææque Gentis Dux præclarissimus, immensam hominum vim, id est sexcenta tria armatorum millia quingentos quinquaginta, excepta Leviticâ tribu, & imbelli plebe, istâ servitute vindicavit.

Sed bona ejusdem Siracidis pace dicam, qui suas satisfactiones piis manibus addicit, is plus aliquid, & laudabilius hoc in genere liberationis perpetrat. Etenim eâ suâ caritate, etsi non per quadraginta annos, instar Moysis continuatâ, omnibus illis benefacit, atque adeò omnium merorem ex infandâ illâ captivitate perceptum mitigat, ac proinde pœnam damni aliquam extinguit; Et tamen authore Angelico Doctore, pœna damni minima maximam hujus vitæ pœnam acerbitate vincit: & aliunde numerus piorum manium immensa illa Hebræorum ex Ægypto migrantium multitudine minor esse non potest; imo major sit necesse est, quandoquidem paucissimi ex justis mortalibus in purgantia illa loca non descendant, & plurimi per diu in illis commorentur: Certè Christus pius manes tanto numero esse asseruit B. Margaritæ de Fortona tertii ordinis S. Francisci, ut vix cogitatione capi possit. Itaque tantum, & amplius defunctorum gratiâ facit, quantum si Moyses instar multitudinem populo Israëlítico majorem libertate donaret, quia pœna, meror que, quo defunctos liberat, gravior est pœnâ, qua Moyses Gentem Israëliticam ex Ægypto educendo liberavit. Quibus adde, quod eadem caritate licet non diuturna subinde aliqui è piis manibus, quibus prope nihil lucendum supererat, carcere lustrali eripiantur, quod tanti est, quanti Hebræos omnes Ægyptiâ servitute eximi: præsertim, cum minimus gloriæ gradus nihil in bonis hujus vitæ par, aut secundum habeat.

644.  
Et præfertur.

645.

Quamobrem quicumque Christianus homo pius manes levare consuevit, unâ cum

Hinc defunctorum cum

amator si-  
milis Moy-  
si.

cum Moyse dilectus Deo, & hominibus di-  
ci potest, ejusque memoria apud inferos il-  
los, & Caelites in benedictione est. Et sanè  
Deus similem illum fecit in gloria Sancto-  
rum, nempe Patriarcharum, cum patriæ  
illius ac gentis purgandæ verè pater sit :  
& magnificavit eum in timore inimi-  
corum, videlicet dæmonum, quibus tantò  
est horrore, quanto defunctis solatio. Illud  
exploratum, concini in Purgatorio canti-  
cum novum ad nova ejusmodi hominis  
subsidia, & Deo quidem imprimis gratias  
agi à singulis ita fortè dicentibus, *Confite-  
bor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi,  
conversus est furor tuus, & consolatus es  
me*, Isaia 12. Verumtamen, & secundum  
Deum homini auxiliatori grates laudè-  
que ab universis decantari certum est, hoc  
forsitan Davidis Regis encomio. *Beatus  
qui intelligit super egenum & pauperem :  
in die malâ liberabit eum Dominus. Do-  
minus conservet eum, & vivificet eum, &  
beatum faciat eum in terrâ, & non tradat  
eum in animam inimicorum eius.* Psalm.

646.  
Confertur  
cum libe-  
ratione à  
captivitate  
Babylonis.

40. Sed ea beatitudo postea Deo juvante  
latius est à nobis exponenda. Nunc Cyri  
Perfarum Regis Judaicum populum ex  
captivitate Babylonicâ liberantis figura,  
amplissimam nobis segetem subministra-  
bit laudum ejus, quam tractamus, charita-  
tis. Atquè illa sanè captivitas gravissima  
fuit. Testantur id Judæi ipsi apud Pro-  
phetam Pf. 130. ubi *super flumina Babyloni-  
sæ sedentes amarè flent, & plangunt.* Cur  
enim super flumina sedere dicuntur? Quia  
ut censet Chryostomus, non in ipsâ civi-  
tate, sed in agris degebant, quippe ad vil-  
lia opera destinati, ut servi ac mancipia,  
deinde fannas & ludibria Babyloniolorum  
indicant hisce verbis: *Quia illic interroga-  
verunt nos, qui captivos duxerunt nos, ver-  
ba canionum.* Quid enim importunius,  
quid gravius captivo, quàm cogi cantare:  
(quod animi lætitiâ gestientis esse solet)  
ubi lacrimandi ac lugendi causa multiplex  
occurrit? Præterea illa vel imprecatio, vel  
prædictio, *Filia Babylonis misera, beatus  
qui retribuet tibitributionem tuam, quam  
retribuisti nobis.* *Beatus qui tenebit, &  
allidet parvulos tuos ad petram:* satis in-  
dicat Hebræorum parvulos à Babyloniis  
pari crudelitate illisos, & necatos fuisse, ex  
quo reliqua in reliquos atrocitas intelligi-  
tur. Adde captivitatis illius diuturnita-  
tem; nam integris septuaginta duravit  
annis, donec Cyrus Babylone devictâ  
edoctus à Judæis Isaia de se vaticinium  
aliquot ante seculis editum, libertatem il-  
lis, copiamque Jerosolymam, & in alias pa-

triæ suæ plagas remigrandi liberaliter con-  
cessit.

Porro illius ex eâ humanitate laus sin-  
gularis exorta est. nam ideò divino numi-  
ne, & faustissimo omine Cyrus vocatus  
est: unde illa Isaia, *vocavi te nomine tuo,*  
Id enim nominis Persicâ linguâ solem sig-  
nificat, ut ait Plutarchus in vita Artaxerxis  
Mnemonis. Et verò solis instar Hebræis  
fuit in tenebris captivitatis jacentibus. In  
quo ipso vicem instrumenti Deo præbuit.  
Quare idem Isaia, *Hæc, inquit, dicit Do-  
minus Christo meo Cyro, cuius apprehendi  
dexteram,* nempe ut eâ tamquam instru-  
mento uteretur ad Babyloniâ expugnan-  
dam, at eo præsertim fine, ut Israël liber-  
rarem. Quo factum ut subdat, *Propter  
servum meum Iacob, & Israel electum  
meum, accinxi te, & non cognovisti me.* Et  
pleniùs, luculentiusque postmodum; *post  
te ambulabunt, vincti manibus pergent, &  
adorabunt, teque deprecabuntur, tantum in  
te Deus est, & non est absque te Deus,* ut  
ostendat Cyrum à Deo motum, & velut ad  
ea quæ patravit actum fuisse; nempe ut Ju-  
dæos è captivitate vindicaret: Propterea  
hæc de Cyro intelligunt D. Thomas, Ly-  
ranus, Forerius, *Rorate cæli desuper, &  
nubes pluant iustum, aperiatur terra, &  
germinet salvatorem,* voluntque suspicia  
fuisse Judæorum Babylone captivorum ad  
Cyrum aspirantium, quem scilicet ex Isaia  
sciebant fore suum salvatorem, & tam-  
quam rorem cælestem in summâ solati  
inopiâ desiderabant.

648.  
Cui præ-  
fertur mi-  
sericordia  
in defun-  
ctos.

Quæ omnia humanitatem hominis suas  
satisfactiones defunctis transcribentis mi-  
rificè illustrent. Cùm enim iustitiam cap-  
tivitas Babylonicâ longè calamitosior sit  
(nam ab ea differt, ut veritas à figurâ, &  
homo verus à picto) Christianus ille, qui  
pios manes suâ captivitate solvit, multò  
sublimiore ratione Cyrum illis sive solem  
se præstat. Enimverò & carceris, & mœ-  
roris purgandarum animarum tenebræ  
longè densiores sunt ac molestiores, ac  
proinde dies liberationis ferentiùs illis mi-  
cat. Deinde amator ille defunctorum  
præclarissimum est Numinis instrumen-  
tum. Ejus enim Deus *apprehendit dex-  
teram,* eaque pios manes carcere educit.  
Et verius de eodem dicitur: *Tantum in te  
est Deus,* quia tam pretiosa divinaque eo-  
rum redemptio non nisi ope divinâ, eaque  
singulari, perfici potest. Denique multò  
potiùs ad Amatorem illum suum anhelent  
animæ, clamentque; *Rorate cæli desuper,  
& nubes pluant iustum, aperiatur terra,  
& germinet salvatorem:* quando & illius  
satisfactio, toris & pluvie cujusdam cælestis  
instar

instar illis est *in terra illa deserta, & in-  
via, & inaquosa*: & ipse verè hoc pacto  
iustus est, quippe qui Iustitiæ divinæ pro  
piis manibus faciat satis: & re verissimâ sal-  
vator est ac redemptor, cum lytro sangui-  
nis Christi perfoluto illos servitute eximat.  
favet autem huic expositioni Syrus inter-  
pres, cujus est hæc versio: *Jucundamini  
cæli desuper: & nubes rorent iustitiam,*  
intellige satisfactionem, quæ Iustitiæ divi-  
næ solvitur, *aperiatur terra, & multipli-  
cetur salus*, quia salvator ille, non unius, aut  
paucorum, sed plurimorum veram ac divi-  
nam, immortalẽque salutem, vel parit,  
vel parturit, maximè si per plures annos,  
ac potissimum vitæ spatium satisfactiones  
suas illis addicit. Cæterum aspirare ani-  
mas ad ortum hujusmodi salvatorum vel  
inde patet, quòd iis natis summis incedant  
lætitis, ut satis constat testimonio Canti-  
pratani referentis gestisse gaudio quem-  
piam è piis manibus, audito divinitus eum  
in auras editum, à quo olim erat liberan-  
dus. Cui affine aliud Viennæ in Austria  
ab aliquot annis accidisse accepimus.

649.  
Item libe-  
rationi  
Ludovici  
Pii Gallie  
Regis.

Sed libet alterius captivitatis Babylo-  
nicæ longè deterioris solutione rem hanc il-  
lustrare. Ludovicus Pius Caroli Magni  
digna soboles, infanda filiorum, Lotharii,  
Pepini ac Ludovici conjuratione, Gallia-  
rum regno exturbatus est. Junxerat se se-  
cundis nuptiis Judithæ, ex eaque parvulum  
Carolum susceperat. Hanc adori illi pu-  
gione intentato ad velum capeffendum  
adegerant: & ad juramentum insuper viro  
persuadendi renuntiationem Regni. Sub  
hæc Ludovicus exercitum suum unicâ no-  
ctæ totum à se diffuere animadvertens,  
pauculos fideiiores, ut fugâ salutem consule-  
rent, hortatus, ipse cum conjuge ac filio-  
lo velut victima neci destinata ad filiorum  
inimica castra se contulit: Exceptus est in  
speciem ut pater, at revera ut hostis impiè  
à filiis habitus. Et illicò perfidorum con-  
cilio coacto innocens & Dominus à subje-  
ctis bipedum nequissimis regno privatus,  
cogitur heu! in æde sacrâ positus humi  
genibus affictas sibi noxas, & impiam à fi-  
liis condemnationem legere, baltheum  
deponere, rei vestem induere, postquæ ve-  
lut captivus Lotharium sequitur. En mi-  
sererrimam, & patris, & Regis servitutem.  
Si quis ex eâ utramque dignitatem illam  
eximat, quantis præconiis dignus! Et fue-  
re qui eximerent; ac propterea gratissi-  
mam totius posteritatis memoriam me-  
rentur. Quis igitur non maximi æstimet  
charitatem hominis è captivitate  
Purgatoriâ vindicantis, cum hæc quoque  
Ludovici, etiam indignissima, libertatis no-

mine digna sit, si cum ea componatur?  
Consteritaque charitatem, de qua agimus,  
vel eo solo respectu pœnæ damni redemp-  
tæ esse præclarissimam.

§ 2.

De pœna sensus.

VERUM enimvero incredibilis quo-  
que illius laus, & gloria Numinis ef-  
floreſcit ex solutione pœnæ sensus, quæ sa-  
tisfactionum in defunctos largitione etiam  
continetur. Nam si Deus ipse eximiis  
præconiis celebret eleemosynam in pau-  
peres, aliaque vulgaria misericordiæ ope-  
ra, quibus humanorum corporum mala  
propelluntur, quid de hac ingentium ani-  
mæ malorum propulsatione dicet? Audi  
igitur illum de priori misericordia sic lo-  
quentem: *Dimitte eos, qui confracti sunt  
liberos, & omne onus dirumpe, frange esu-  
rienti panem tuum, & egenos, vagosque in-  
duc in domum tuam, cum videris nudum  
operi eum, & carnem tuam ne despexeris:  
Tunc erumpet quasi manelumen tuum, &  
sanitas tua citius orietur, & anteibit fa-  
ciem tuam iustitia tua, & gloria Domini  
colliget te.* Et postea: *Si effuderis esu-  
rienti animam tuam, & animam afflicta  
repleveris, orietur in tenebris lux tua, &  
tenebra tuæ erunt sicut meridies, & requiem  
tibi dabit Dominus semper, & implebit  
splendoribus animam tuam, & ossa tua li-  
berabit, & eris quasi hortus irriguus, &  
sicut fons aquarum, cuius non deficient a-  
quæ.* Hactenus ipse Deus. Ubi luminis,  
ac matutini jubaris nominibus, charitatis  
splendorem ac decus intelligit, additque  
illam à gloria Domini colligi, sive circum-  
dari, ex mente Septuaginta, id est vera &  
divina gloria illustrem esse, tum requiem,  
ac sanitatem ei spondet, ac denique horto  
irriguo, ac fonti perenni eam confert, ut  
ejus iterum latam faciem, & insuper fru-  
ctuum omnium fecunditatem significet.

650.  
Laus mise-  
ricordiæ  
corporalis.

Si ergo de misericordiâ in mortales hæc  
vera sint, quantò potiùs de eâ, quæ ad de-  
functos se exporrigit? Quid enim onus  
illud æris, quid esuries, quid cubatio sub  
dio, quid nuditas ad ignis purgantis sup-  
plicium? Quid igitur exemptio ab ejus-  
modi miseris, si cum liberatione ab illo  
igne comparetur? Quantum itaque bene-  
ficium, quàm illustre charitatis genus est,  
quo vel unica anima tormento flamma-  
rum purgantium eripitur? Atqui fieri po-  
test, ut unius preculæ, vel modicæ stipis be-  
neficio eripiatur aliqua, cui perparum

651.  
Maximè  
propria ca-  
ritati in  
defunctos.

luendum restabat, Et numquam non occidit, ut eorum, quibus ea destinata, vel certè aliorum, si fortè divino iudicio priores subinde iis privandi cenleantur, pœna saltem aliqua extingatur. Quamobrem quis satis æstimet artem illam charitatis, qua quis prece, st pe, aliisque suffragiis cumulatis, facili negotio plurimos è piis manibus plurimum levat, aut etiam omninò liberat?

652.  
Cujus vis  
demonstratur.

Sed rem hanc latius fundamus. Author est Angelicus Doctor cum scholâ suâ universâ, plurimisque aliis, minimam pœnam lustralem etiam sensûs, graviorem esse maximâ hujus vitæ: Igitur eo quidem authore plus boni ac solatii confert miserimis illis animis, qui pro iisdem vel preces fundit, vel bolo genium fraudat, vel teruncium pauperi largitur, quàm qui ex charitate perfecisset, ut vel Chrysostomus aliquis aut Silverius ab infami ac calamitoso exilio revocaretur, vel Jobus quispiam omni morborum atque ulcerum genere liberaretur, vel alius ad trirèmes damnatus non modò libertate, sed etiam maximo honore donaretur, vel prædo insignis exquisitis suppliciis eximeretur. Testis est S. Polycarpus Presbyter in vitâ S. Sebastiani, ignem hujus vitæ, picturam quandam esse ignis tartarei, qui cum lustrali idem est: atque adeò visionem ab igne nostrate umbram esse visionis à purgante. Qui ergo prodigium illud fortitudinis, Joannem ab Arcu, vulgo virginem Aurelianensem, è rogo, in quo ab Anglis consumpta fuit, vivam eripisset: aut qui Christianos Romanos postibus extraxisset, in quibus pice accensis crudelibus Neronis oculis jucundam lucem dedere; is illius viri sententiâ non nisi umbram, seu imaginem exhibuisset illis solatii, quo defunctum reficit, qui vivendo ut requiescat in pace, expiatoriam illius flammam mitigat: Demum asserit Cæsarius Arelatensis, & ante illum S. Augustinus, Purgatorium ignem *duriores esse, quàm, quod possit pœnarum in hoc sæculo aut accidere, aut sentiri, aut cogitari*: ergo pariter asserit eum, qui pro parente, aut consanguineo psalmo de profundis ex germanâ caritate recitato, eos ab acerbissimo illo purgantium ignium supplicio eximit; eosdem levare graviori malo, quàm Diocletiani, Maximini, Valeriani, Licinii, Maxentii, aliisque omnes tyranni potuerint excogitare. Quàm nobilis igitur ex eorum mente, quàm potens, quàm divina charitas in defunctos, quatenus vel solâ pœnâ sensûs eos eximit!

653.  
Etiâ quod  
Purgatorii

Sed vix quidquam adhuc de illâ dixi. Nam diuturnitas tormentorum hujus vitæ

prope pnnctum est ad diuturnitatem lustralium. Quippe hæc ad centenos, ac centenos annos, imò ad millenos sese extendunt, cum tormenta Martyrum pleraque, ut summum ad paucas horas duraverint: morborum autem acerbitas, si diu dureret, nec continua, nec maxima esse possit, atque ut sit, ad longiorem vitâ moram non possit se porrigere. At purgantis ignis cruciatus ab Animâ semper ad sensum æquè vegeta excipiuntur: numquam intermittuntur: ad plures annos sæpè, subinde ad centenos, ac millenos, ut dixi, imò ad diem usque iudicii protrahuntur. Ea igitur Charitas, quæ saltem ad annos aliquot illos contrahit par illi charitati est, quæ mille, ac mille homines ab horario incendio vindicaret, cum mille, ac mille horæ complurium annorum spatio comprehendantur. Sed fac quempiam è defunctis ab unius solummodo diei pœnis tuâ vel prece, vel stipe asseri, quot in die numerantur horæ? quot in horâ minuta? quot in minutis partes, etiam notabiles, illis præsertim quibus præ tormentorum acerbitate dies pro anno est? Quàm illustis, amabo, ea caritas, quæ patrem, matremve vel ad unicum diem tantis malis quolibet hujus vitæ supplicio majoribus liberat!

Quare si Princeps ille medicorum Galenus omnium laudibus celebratur, quòd in ægros omnes, etiam pauperes & abjectos, esset humanissimus, & quâ consiliis, quâ scriptis de genere humano benè mereri studeret. Si populus Genuensis ab Andream Auriam Gallis eiecit in libertatem Anno 1528. asserit, præclaram, atque adeò perenni gratissimorum animorum testificatione illustrem legem rogavit, quam Decuriones cunctis suffragiis sanxere, ut Auriam statua Colossææ magnitudinis è Lucensi marmore decerneretur, cujus basi inscriberetur hic titulus, Andream Auriam civi optimo, felicissimoque vindici, atque authori publicæ libertatis Senatus, populusque Genuensis posuit. Si denique Divi Sospitatores, ut Sebastianus, Rochus, Drogo, aliique permulti, tanto apud mortales in pretio sunt, quantis laudibus digni erunt amatores ac vindices piorum manuum, quàm celebres apud Cælites, quàm cari ipsis defunctis!

Pone tibi ante oculos Abrahamum ex igne (in quem à Chaldæis injectum fuisse tradunt Hebræi, nec improbat Hieronymus, & sentire videtur Ecclesia) prodigio, & ministerio Angelico eductum. Pone Lothum ab Angelis cum domo sua è Sodomæis flammis ereptum. Pone demum ante oculos tres illos pueros Sidrach, Misach,

654.  
Collatio  
hujus caritatis cum aliis.

655.  
Gratissimus piorum manuum animus.

sach, & Abdenago, in igne Babylonico illatos. Tum in mentem subeat, Angelum cum iis postremis in fornacem vultu radiante descendisse, in eaque afflasse ventum roscidum, quo vis ignis à pueris depulsa, & ii mirè recreati sunt. Deinde eos ipsos Spiritu Sancto afflatos hymnum inter flammam divinissimum Deo decantasse: Sic enim Scriptura. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum rosis flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contrivit, nec quidquam molestiæ intulit. Tunc hi tres, quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace dicentes. Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula, quia eruit nos de inferno, & salvos fecit de manu mortis, & liberavit nos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius: Pone, inquam, hæc tibi ante oculos, & mihi crede, ita concinit anima, quam Purgatorii Amator vel levat, vel liberat. Nempe gaudio simul & igne perfusa liberatorem suum summis laudibus in cælum extollit, eum pro Angelo habet, charitatem ejus fati prædicare nequit. Denique illius primarium auctorem, incẽtoremque, quantum fas est celebrat: Et iterum mihi crede, longè plus gratiæ acceptum refert suo vindici, quàm & Abrahamus, & Lothi familia Angelis eductoribus, & tres illi pueri liberatori Genio reulere: quia profectò multo majus beneficium est amatoris piorum manium animam longo præsertim Purgatorio asserentis, quàm omnium istorum Angelorum in suos clientes extiterit.*

656. Quare non jam Angelo comparem nostrum Amatorem: sed Christo Redemptori, cujus speciem præferbat ille, qui tres pueros servavit: de quo Nabuchodonosor, *Ecce video, inquit, quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est: & species quarti similis filio Dei, id est, Christi, quem quatenus est Verbum Patris, etiam ante assumptam Humanitatem apparuisse specie humanâ qualem post gessit, locutumque censent Tertullianus, Hilarius, Augustinus, Rupertus, & alii: Et sanè aptissimè quadrant nostro defunctorum Amatori illa Christi de seipso apud Isaiam c. 6. Spiritus Domini super me. Eo quòd unxerit Dominus me: Ad annuntiandum mansuetis, misit me: ut mederer contritis corde: &*

*prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo: ut consolarem omnes lugentes.* Etenim dubium esse non potest, quin studium illud piis manibus opitulandi, à Spiritu Sancto afflatum sit, atque à Patre misericordiarum, & totius consolationis inditum. Deinde mansueti illi, sive, ut græca ferunt, pauperes, rectè defunctos fideles significant, quippe quibus nihil est vel mansuetius in cruciatibus derferendis, vel egentius. Quid verò excogitari potest iis tristius, cum criminum dolore magis, quàm flammis molestus? Aut quibus captivi nomen melius convenit, quàm iisdem? Quare cum illis Amator noster secundum Christum libertatem procuret, meritò encomia illa Servatoris illi accommodes, ut & defunctis pacem annuntiet, & eorum dolori medeatur, & veniam obtineat, & jubilæum impertiatur, & supremum ultionis diem, ineuntemque solatii & gloriæ æternitatem prædicet. Ex quibus demum concies amatorem piorum manium ob liberationem à minimâ damni, aut sensus pœnâ, quam præculâ, astit exiguâ stipe consequitur, omni laude superiorem esse.

ARTICULUS IV.

*Ejusdem charitatis excellentia ex dignitate gloria cœlestis, quæ defunctis procuratur.*

DE misericordiæ præstantia optimè philosophati sunt duo Græciæ Catholicæ lumina Gregorius Nazianzenus ac Nyssenus. Ille quidem orat. de pauperum cura, *Nihil, inquit, tam divinum habet homo, quàm de aliis bene mereri, tamen si ille, Deus scilicet, maiora, hic minora beneficia conferat, uterque nimirum pro suis viribus. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* Nyssenus verò l. de Beatitudinibus. *Si misericordis, ait, appellatio, Deum decet, ad quid aliud te sermo Dei hortatur, nisi ut Deus fias, tamquam insignitus propria nota Deitatis? Ita ipse. Causa porò hujus pronunciati est, quòd ea potissimum virtus essentiam, ac velut definitionem Dei designet; quam divinam essentiam in independentia Theologi constituunt. Hoc enim ipso quo quid intelligitur non pendere ab alio, intelligitur quoque nihil esse à quo limitetur, atque adeò*

Essentiâ

Ec 3

essentiâ ac naturâ esse infinitum, ac propterea cætera intelliguntur ab eo pendere: Atqui misericordia & sufficientiam ac copiam denotat (cùm habeat, quo aliis bene faciat) & aliorum, nempe miserorum, à se dependentiam. Nisi fortè malis, nihil melius Deum repræsentare misericordiâ, quòd ipse nullum è divinis attributis, unde cognosci posset, crebrius ac luculentius hac in vitâ ostenderit, quàm benignitatem, ac misericordiam. Quo factum ut Ecclesia sic illum oret: *Deus cui proprium est misereri semper, & parcere.*

658.  
Præferim  
misericordiam  
in defunctos.

Quod si verò quævis misericordia quid divinum est, si misericors homo est Deus, is maximè hoc nomine dignus est, qui in pios manes exercet misericordiam. Nec enim majus beneficium illis conferri à quocumque potest, quàm gloria cælestis: quæ perfectâ infiniti Numinis possessio est. Complectitur enim tum visionem ejus beatificam, tum amorem gaudiumque beatificum, tum alia quæ simul cum his ex visione illa quadam velut naturæ necessitate feliciter erumpunt. In quorum aggregatione quis non videt unam & expressissimam imaginem Divinitatis? Quis deinde non intelligit ab Amatore illo defunctos effici Deos? Etenim ille ipse est, qui satisfactionum suarum tanquam alis illos in cælum subvehit; ille est, qui earundem velut clavibus illud eis sic aperit, ut ingressum prohibere ne Deus quidem possit, aut sui conspectum negare, cùm promissum eis fructum nequeat non præstare. Ex quibus patet ipsummet Amatorem, quendam Deum esse. Et certè quod Jerosolymæ cælesti facturum se Deus ipse pollicetur, dum ait Isaiæ 66. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium: quam suggestis: ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis: ubi summis gaudiis, summaque gloria afficiendam cælestem solymam indicat, ejusque cives tenerrimorum instar filiorum à Deo ipso habendos: hoc, inquam, & ejusmodi alia defunctis præstat Amator ille, quia horum omnium vera causa est. Accidit, quod eosdem velut dominos Numinis efficiat. Nam Christus Lucæ 12. *Præcinget se, ait, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*, nempe beatis cæli incolis: atque adeò illis, quos noster Amator ope sua cælo inferuerit.*

659.  
Cum faciat  
illos cæli  
Reges,  
aut Regi-  
vas.

Itaque non mirum si Apocal. 5. Reges se pronuntient (nam *Fecit nos, inquit, Deo nostro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram*) cùm Regi ipse *saeculorum immortalis, & invisibilis* velut

dominentur, quando eum habent ad obsequium suum semper paratum. Et minus admirabile est, quod Chrysostomus Homil. 33. ad populum tradit, *melius esse hanc ariem dandi eleemosynam nosse, quàm Regem esse, & diademate coronari*: cùm eleemosyna, si defunctis detur, eos ipsos cæli Reges efficiat. Præsertim cùm regium palatium illis appetiri curet, ad eumque spectent illa Davidis; *Attollite portas, Principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Sanè qui patrem, aut matrem, aut amicum, aut alium quemvis suis satisfactionibus impertit, dicere illis videtur, quod Isaias c. 53. *Oculi tui videbunt Jerusalem civitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur, Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster, Locus fluviorum, rivi latissimi, & patentes.* Quasi dicat: Eia bene spera: ope divinâ, precibus meis impetratâ spectabis brevi Cælestem illam Jerusalem, imò & tabernaculum, seu palatium perenne, quod tibi paratum est: Quod quidem adeò magnificentum, ut Deus omnium conditor præ illo nihil magnificentum fecisse videatur. Quin eadem ope *intrabis in gaudium Domini tui.* Cùm igitur Amator noster hanc cælestem ac infinitam excellentiam piis manibus, & multis quidem conferat, ingentem inde dignitatem sortiatur, necesse est. Nam si apud mortales quicumque nonnullâ affinitate vel Regem, vel eam attingunt quæ in Regis Sponsam assumitur, dignitatem inde non vulgarem accipiunt; quantâ piorum manium Amator florebit apud Deum dignitate, quem charitas sua animis à se ad cælum, atque adeò ad regnum sive ad divinas nuptias provectis, intimè conjugit. Esther quidem Regina ab avunculo Mardocheo ad regnum provecta, eum adeò coluit, ut sine illius nutu ac consilio nihil ageret, tandemque Aman in crucem sublato ad proximam Regi Assuero celsitudinem promoveri curaret. An verò nos amantissimis illis cæli Reginis imparem grati animi sensum inesse arbitramur? An non immenso amplius expectabimus à divino Assuero, qui Estheri, seu Sponsæ suæ non dimidium regni sui, quemadmodum ille Assuerus, sed totum ipsum cæleste regnum *ex nimia*, ut loquitur Paulus, *charitate* promisit, & impertit?

Nam si adeò Sponsam adamat, illum quoque qui eam carceris squallore, flammisque ereptam, sospitem, ac fulgentem ei sistit, *torrem.*

660.

Vnde amor Christi, & defunctorum in liberatorem.

ei sistit, & quodammodo donat, vehementer adamat, oportet. At quanto amore? Siquidem Amatoris piorum manium ope perficitur, ut divinus Sponsus his sacri Epithalamii carminibus Sponsam cœlum subeuntem salutare possit: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano Sponsa mea, Veni de Libano, coronaberis de capite Amana, de vertice Samur, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cant. 4. Enimvero maculæ, quibus Sponsa prius notabatur, per illum Amatorem deletæ sunt: Per eundem habet illa, quod venire possit de Libano, qui candidum sonat, apteque Purgatorium denotat, in quo animæ dealbantur; per eundem habet, quod veniat de capite Amana, quod vocabulum nutricem significat, proptereaque etiam Purgatorium indicat, quippe in quo flamma perennis, & spes piorum manium continenter alitur. Eiusdem subsidio venit de vertice Samur, quod mutationem lucernæ innuit, quia in Purgatorio longè alia lux animis affulget, cum divina æternaque multò pluris, quàm in vivis æstiment: quamquam quia ea lux adhuc obscura, idè est lucernâ prodire dicitur. Eiusdem ope venit de Hermon, quod vocabulum anathema significat, quia in Purgatorio animæ velut anathemate percussæ, & à Sponsi conspectu alienæ detinentur. Neque ratio montis Purgatorio malè convenit, etsi deorsum sito: quia ex eo pii manes proximè cœlum conscendunt. Denique per eundem habet Sponsa ut veniat de cubilibus leonum, de montibus pardorum: Quippe quòd dæmones, veri sanè leones ac pardi, sævitia ac voracitate, subinde in Purgatorio stabulari, & aliquos sibi olim nimis obsecutos punite dicantur. Postremò habet per illum, ut gloria, & honore in oculis omnium cœlitum coronetur. Quamobrem qui divino Sponso, ac Sponsæ tot gaudiorum fons est, non potest non utrisque in summo esse amore. Cum igitur amantissimus ille Sponsus, ubi dixit Proverb. 7. *Ego diligentes me diligo, statim addat, mecum sunt divitiae, & gloria, opes superba, ac iustitia*: ac paulò post, *in viis iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicii, ut dicam diligentes me, & thesauros eorum repleam*, quanta gloria, quàm superba opes, quanta celsitudo manent Amatorem illum, quippe Sponsum & Sponsam ita diligentem? Accedit quod idem patrem, matremque Sponsæ se exhibeat, quia vitæ melior ac cælesti eam generat: fratrem quoque, quia illi ferè alterum reipsa se demonstrat; sororem insu-

per, quia teneritudine commiserationis ac benevolentia in illam suæ completur. Qui ergo tot nominibus ac modis illas cœli Reginas sibi obstringit, quo apud eas loco futurus est, quantâ gratiâ apud Deum ac Cœlites valiturus?

Quibus addo, quod eadem charitas eadem operâ pios manes ornet perfectâ filiorum Dei dignitate, (quæ in perfectâ cum ipso Deo similitudine sita est,) & insuper paternâ hæreditate Regnoque donet. De hac dignitate agit in suo Evangelio Joannes, authoribus Dionysio, & Caetano, dum ait, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* De eadem aperte loquitur Paulus cum ait Rom. 8. *Adoptionem filiorum Dei expectantes.* De eadem intelligenda Ecclesia, dum sic orat: *Deus qui fidei sacramenta in Unigeniti tui gloriosâ transfiguratione, Patrum testimonio roborasti, & adoptionem filiorum perfectam voce delapsâ in nube lucidâ mirabiliter præsignasti.* Et enim adoptio ejusmodi duplex est, Imperfecta altera, & occulta, qualis in terris; altera perfecta, quæ in cœlo obtingit: ubi per lumen gloriæ, ac visionem beatificam multò similiore Patri æterno reddimur. Quare Joannes Ep. 1. c. 3. *Carissimi, inquit, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Hanc igitur perfectam filii Dei adoptionem piis manibus procurat eorum Amator. Quare cum D. Leo Serm. 6. de Nativitate de priorè adoptione hæc intelligat, *Omnia excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet patrem*: Cum de eadem agens Gregorius Homilia 6. in Ezechielem, sic exclamet, *Quid hac potestate alius? Quid hac altitudine sublimius dici potest? Quid ipsi de Amatoris animatum eo, quod tractamus, dono; quid, inquam, de perfectâ illâ adoptione dicerent? nos verò quanti beneficium illud æstimare, quibusvè laudibus satis celebrare poterimus authorem illius charitatem? Etsi enim Christo Redemptori ea laus primario debeat, voluit tamen ut & benevolis in pios manes mortalibus communicaretur, cum re ac veritate cælestem gloriam illis procurant.*

Neque verò dicas non tam impertiti defunctis cælestem gloriam, quàm iis ali-

661. Qui iisdem confere perfectam filii Dei dignitatem.

662. Etsi tantum accelerari videtur.

quando debitam accelerari, nam si acceleretur, ergo illius possessio tribuitur, vel ad annum, vel ad biennium, triennium, plus; minusvè. Porro possessio tanti boni, vel brevissima, digna est, ut superius

perius dicebamus, quæ perfectione omnium hujus vitæ malorum, & traditione omnium ejusdem bonorum ematur. Quid annua, quid biennalis, quid triennis possessio? nonne amplitudo mundi hujus, seu Pontificia, seu Imperatoria, seu Regia, quæ tanti fieri solet, frequenter non tam diu durat? Deinde minus grave est supplicium, quod animæ in Purgatorio perferunt, quam sit læta, fœlix, atque experenda cœli beatitudo, quam mortalium ope consequuntur: quis verò non plutimi æstimet lustrales rogos, ad annum, aut biennale spatium tolerare, vel evadere, cum tanti sit apud mortales, rogum prope momentaneum aut pati, aut evitare? Quid dicam nonnullas animas ad cœleste Regnum ope piorum mortalium promoveri, decennio, vicennio, trecennio, & amplius, priusquam per se illud adeptæ fuissent; quanto tempore vix imperia humana tenentur? His adde gaudium, & gloriam quandam æternam ex eâ acceleratione in eos, qui eâ fruuntur, derivari. Cum enim toto eo tempore, & intimè Deum ament, & dilaudent, & ad omne illius obsequium sint paratissimi, nemo dubitare potest, quin & à Deo redamantur, & ideo totâ æternitate redamandi sint, & ipsi propterea eadem æternitate totâ lætaturi, & gratias pro acceleratione maximas acturi, non Deo dumtaxat, sed & nominatim vindicibus suis, ac redemptoribus. Ergo ex hoc quoque capite ingens gloria manat hujus charitatis, & Amatoris piorum manium decus incomparabile refulget.

663.  
illa chari-  
tas torques  
est aurea.

Quamobrem ò quisquis hæc legis, quisquis veræ apud Deum & Cœlites gloriæ es studiosus, moneo te Verbis Sapientis Proverb. c. 3. *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta meæ cor tuum custodiat; longitudo enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.* Quænam siquidem ea lex, nisi amoris, ac misericordiæ? subdit enim proximè, *miseri cordia, & veritas non te deserant: quæ sic Varablus vertit: beneficentia, & fides, seu fidelitas non deserant te:* Et nos eam fidem accipere possumus: quæ ut plurimum piis manibus debetur, quibus utique à superstitibus solet subsidium sponderi, quæve per se omnium est illustrissima. Quamobrem sic prosequitur, *circumda eas gutturi tuo, nempe ad insigne divinæ nobilitatis.* Ita enim Chrysofostomus in Epistolam ad Philippenses; *Adapta, inquit, eas collo tuo, sicuti divinum liberi circa collum bullam habent auream, illamque numquam deponunt, utpote quam tamquam nobilitatis suæ insigne gestant: ita & nos elemosinâ semper amisci-*

*endi sumus, ut ostendamus nos benigni, & misericordis patris esse filios, qui solem suum exoriri facit super bonos, & malos: Et inferius, Circumdemus, ait, nobis istum ornatum. Torquem faciamus auream: elemosinam dico, dum hic fuerimus; quam primum enim hæc ætas transierit, nullus amplius eius erit usus.* Hæc Chrysofostomus. quæ de misericordia in defunctos potissimum rata sunt: cum torques principatus sit indicium, & hæc misericordia non modò ad Regnum evehat pios manes; sed & misericordes. Quare sequitur in Sapiente: *Describe ea in tabulis cordis tui, & invenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus:* quæ demum gratia parens est gloriæ, & disciplina docet regium in hac vitâ induere animum, & parat in cœlo solum, regnumque amplissimum.

## ARTICULUS V.

*Excellentia ejusdem charitatis  
quatenus in cœlum præmittit  
animas Deum suo loco  
ac nomine lauda-  
turas.*

CHARITAS, quam prædicamus, 664.  
partim animas purgandas respicit (de quo respectu hæcenus egimus) Sumus causa cur defuncti Deum laudent in cœlum.  
partim Deum, cujus in gloriam omnis illa acceleratio beatitudinis defunctorum redundat, partim denique nos ipsos, qui eam exercemus, quippe quorum etiam maximo bono eadem acceleratio cedit. Enimverò nostra eorumdem operâ, Deum opt. Max. summo opere amant; celebrantque, atque adeò summam illi gloriam tribuunt. Atqui si verum est, ut est, Philosophorum scitum, quod est causa causæ, nempe necessariæ, est etiam causati causa. Cum igitur causa simus acceleratæ beatitudinis, consequitur ut simus pariter causa omnium amoris ac laudis actuum, quos toto illo spatium eliciunt, quandoquidem necessitate quadam eos eliciant, quia bonum immensum intimè cognitum non potest non summo opere adamari ac laudari: Adde orationem pro piis manibus, & transcriptionem nostræ satisfactionis eò destinari, ac tendere, ut beatitudine brevi fruantur, atque adeò ut simul amoris beatifico, simul divinis laudibus continenter incumbant. Quamobrem id omne & amoris, & laudum divinarum, verè dici potest à nobis proficisci,

proficisci, & nostro nomine ac loco Numini reddi. Quibus adijunge pios manes, & mentem illam nostram scire, & approbare: Deum item ipsum, cum ex casto ejus amore profuatur, eam amare & admittere. Quemadmodum ergo, qui musicos in ædem aliquam mittit, ut suo nomine Deum concinant, is eorum vocibus illum canit; maximè si & ipsi musici ejusdem sint mentis: Sic quoque tota eorum musica nobis ascribetur, non modò merito nostro, ac procuratione, sed maximà quoque eorum voluntate: nequeunt enim non esse gratissimi ac benevolentissimi.

665.  
Et ut tepidam no-  
stram sup-  
pleant.

Id verò caritatem illam in vitâ functos nimium quantum commendat. Primum enim quàm dulce ac jucundum nobis, alioqui tepidis, ac frigidis potius Numinis servis esse debet, plures habere, qui operâ nostrâ ipsum idem Numen ferventissimè ament, laudentque amantissimè; Nam numeremus si liber cum nostro Jacobo Alvarez de Paz lib. 5. P. 3. c. 31. detrimenta operum tepidorum. *Primum Deum non placant: 2. Angelorum, & Sanctorum iram merentur: 3. demones ad risum, & contemptum provocant: 4. minimè ipsum operantem perficiunt: 5. maiorem in dies perfectionis assequenda difficultatem inducunt: 6. tempus ferè sine fructu consumunt.* Ita ipse. Quorum omnium causas non ægrè potest quisque invenire. Sed his adjiciamus insuper jacturam temporis, & velut vitæ nostræ interruptionem à somnò necessario ac superfluo exortam. Addamus impedimenta Deo vacandi, ex negotiis curisque forensibus; quantum restabit quod ad Numinis gloriam cedat? Nonne de nobis ratum est illud Sapientis Proverb. 10. *Egestatem operata est manus remissa?* Revera enim plerique nostrum utique caelestium egeni, Deo perparum reddimus, cui tamen omnia plurimis nominibus debemus. Itaque juvat nos in cælum animas legare, quæ nomina nostra dissolvant, & Deum nobis placent, & Cælitum gratiam demereantur, & pudore demones suffundant, & nos ad perfectionem favore suo provehant, ac denique nostram laudis divinæ inopiam abundè suppleant.

666.  
Efficacius  
quàm si  
locaremus  
musicos.

Vide porro quàm id egregiè nostra in defunctos charitas præstare possit. Perspectum est enim imprimis efficacius ab eâ perfici ut laudetur Deus, quàm si grandære musicos ac cantores conducas, ut tua causâ Deum concinant. Nec enim quantumlibet impensis tuis eorum libertatem sic emes, ut non integrum eis sit, & fortè de liberatum, non tam Deum cantu suo,

quàm artem suam celebrare, imò nequam Dei, sed nominis sui captare gloriam.

Jam qui cænobia exstruxere ad cantum perennem Numinis, qui que ea legibus suis ac ceremoniis instruxere, ut Augustini, Benedicti, Bernardi, securiores quidem sunt de piâ cantorum suorum, utpote religiosorum, voluntate; sed tamen & ipsa inconstans est, & in vitium curva, pronaque: & licet eorum laus Ecclesiæ, quæ Deo, ac Sponso suo Christo semper gratissima est, nomine nunquam non placeat, tamen plurimum ornamentum ex illâ decerpit, multorum vanitas, oscitantia, mentis evagatio, curiosus aspectus, prava cogitatio, & hujusmodi. At ea Numinis laus, quam procurat charitas in defunctos, certa prorsus & integra est, nec umquam ullo vel vitio deformis, vel tempore interrupta: hoc igitur respectu clarissima est.

667.  
Aut qui  
cænobia  
exstruunt.

Denique dum tres illi pueri Babylonici cum reliquis rebus conditis Angelos invitant ad grates Numini, laudesque decantandas: dum Vates Regius multis locis eodem ad idem munus provocat, certi quidem sunt Sanctos illos Genios propter prolixissimam in Deum voluntatem partibus suis non defuturos, (& eadem ratio est cæterorum Cælitum idem volentium ac peitentium) sed illud non tam est causam esse efficacem laudum Angelicarum, quàm precario eas obtinere. At charitas illa, quam pertractamus, cum pios manes in odæum caeleste introducat, ubi non possunt non velle Deum prolixissimè laudare, ipsaverè efficit ut laudent.

668.  
Aut qui  
Angelos ad  
Deum lau-  
dandum  
invitant.

Sed pusilla sunt ista si cum dicendis conferantur; licet enim in Cænobiis certò, ac semper, & optimè celebraretur Deus, tamen eadem caritas procurat Deo laudes præcellentiores quàm in Cænobiis tam Monachorum, quàm Monialium concini possint: nam etiam in Purgatorio animæ Deo gratissimæ suo propterea grates ex amore rependent: porro earum amor, ac lætitia ex amore manans, excellentior est amore mortalium, cæteris paribus, & numerus piorum manium longè frequentior est numero Monachorum, & Monialium. Ex quibus conficitur ejusmodi in purgantes animas beneficentiâ provocari pios manes ad plures ac gratiores Dei laudes, quàm in Cænobiis à perfectissimis quibusque viris ac foeminis proficisci possint.

669.  
Laudant  
Deum de-  
functi ex-  
cellenter.

Illustrantur hæc ex Joanne de Lugo quem eminentissima sapientia ad sacram purpuram è Soc. Jesu evexit. Is enim disp. 26. de pœnit. Sect. 20. postquam quæsit, an suffragium, quod pro uno defuncto

670.  
Uno adjuto  
ceteri om-  
nes Deum  
laudant.

offertur, pro fit indirectè aliis defunctis, affirmat. Quia, inquit, *anima illa habent invicem maximam unionem charitatis, & dilectionis mutua: quare necesse est, quod omnes gaudeant de sublevatione alterius, & de remissione ei concessa: ergo habent omnes lætitiā aliquam accidentalem de illo suffragio, ergo aliquod solatium, & per consequens aliquam pœnæ diminutionē. In quo sensu non video inconueniens, quod hoc solatium accidentale concedatur in aliis, ita ut per accidens habeant aliquod accidentale levamentum perseverantē pœnæ essentiali, ut ita dicam, in eodem rigore, Nam sicut non omnia gaudia accidentalia, quæ beati habent in cœlo, necesse est, quod oriuntur ex mensura meritorum, & beatitudinis essentialis, sed possunt provenire aliunde, imo & possumus nostris orationibus ea illis impetrare, ut fateatur Suarez Tom. de Rel. 1. de orat. cap. 14. possumus etiam eos nostra conversione lætificare, sic possumus dare occasionem alicuius solatii accidentalis animabus.* Hæc de Lugo. unde conficias uno è piis manibus adjuto, ceteros omnes in Dei laudes gratesque exilire.

671. Sed ecce paradoxum profero longè etiam illustrius: istud mihi suggerunt Theologi, qui ut diximus num. 151. amorem patriæ essentiā perfectiorem esse volunt amore viæ. Quoniam sicut colorum notitia quam cæcus accipit ex auditu, planè dissimilis est, & supra quàm dici potest cedit eorundem notitiæ quam percipit oculus ex visu: ita Numinis notitia per fidem nimium quantum cedit ejusdem notitiæ per beatificam visionem perceptæ: atque adeò divina bonitas per visionem clarissimè repræsentata prorsus alia est à seipsa obscure cognitâ per fidem; & quod hinc consequens est, planè diversum atque excellentem parit sui amorem, ac proinde essentiā superiorem. Ex quâ plurimorum, nominatimque Angelici Doctoris sententia concludit noster Læsius, *Amorem Dei in patriâ esse incomparabiliter perfectiorem, quàm possit esse ullus in viâ, neque hunc amorem etiam si crescat sine fine, posse umquam ex æquari amori patriæ; qui tam sublimis, divinus & admirabilis est quàm ipsa visio, & tantum superat omnem amorem viæ, quantum visio omnem cognitionem.* Hæc Læsius. Ex quibus facilè est prope immensam ejus, quam prædicamus, caritatis laudem colligere. Cùm enim perficiat ut plurimi è piis manibus, celerius emigrent in cœlum, ibique Deum divino ejusmodi amore complectantur, pariter efficit, ut divina illa bonitas supra quàm di-

671.  
Laus, &  
amor patriæ  
essentiâ  
perfectior  
quàm  
visio.

ci, aut concipi potest, purius, excellentiusque ametur à plurimis, quàm amari à mortalibus possit. Quare cùm actuum illius amoris singuli illà incomparabili præstantiâ polleant, & cùm singulis momentis multiplicentur, idque ab aliquibus decennio, ab aliquibus octennio, ab aliis fortè diutius, cùm denique absque eâ caritate fuisset, tam præclatis, tamque multis amoribus Deus in æternum privatus esset; quæ lingua, quæ mens vel Angelica, caritatis nostræ excellentiam pro meritis possit extollere? Et si amoris beatifici tam augustum sit decus, tam incomparabilis claritudo, & aliunde par amori laus Cœlitum singulis pariter momentis iteretur, & utraque conjuncta sit non impari gaudio beatifico; quis eandem nostram caritatem eorum fontem satis æstimare queat?

Sed licet hoc adeò eximium videatur, tamen alio respectu longè apparebit sublimius: nam fac religiosum de vulgo hominem, id est, ex mediocriter dumtaxat bonis, qui non timore pœnæ, sed cœli, aut virtutis, aut etiam subinde Numinis amore ducitur, è Purgatorio tuâ ope, ut fieri pro num est, liberum cœlo inferi. fac eum septuaginta vixisse annis, & à vigesimo ætatis anno, quo religionis habitum induit, centenos in singulos dies actus virtutis elicuisse; Agè quis numerus futurus est actuum virtutis ab ipso toto spatio religionis editorum, & quod ei consequens est, quis numerus graduum gratiæ gloriæque ab eo acquisite? cognoscere aves? aio futurum millionem, & octingenta viginti septem millia actuum, & ducentos; ergo cœlum ingrediens Deum perfectius laudabit, & amabit, quàm millio & octingenta viginti septem millia infantium statim à baptismo mortuorum, quia eorum singulorum gratia gloriæque non æquat primum gratiæ gloriæque augmentum, cùm sit prima, primusque ejus gradus, qui ex sententia D. Thomæ posterioribus essentiæ perfectione cedit: atque ut sic non cedat: tamen minimus gradus sufficit ad animam originali culpâ purgandam, filiamque Dei creandam, cùm ex cœli, aut Dei amore major gratiæ proficisci debeat. Ac proinde universorum gloria cedit gloriæ viri istius Religiosi. Quare qui hunc precibus suis aliivè pietatis exercitiis celerius promoverit ad gloriam cælestem, vera fuerit causa licet partialis illius tantæ gloriæ, atque adeò (absit verbo invidia, & verum liberè loqui liceat) procuraverit pro eo tempore quo ejus ingressum cœli acceleraverit laudes Numinis præstantiores, quàm millio, & octingenta viginti septem Cœlitum mil-

672.  
Laus eventus  
viri  
promovetur  
in cœlum.

lia toto

liatoto eo tempore, puta anno, aut biennio, possint Deo concinere, qua laude charitatis in defunctos quid dici potest admirabilius, quid ad solatium nostrum, & veram gloriam Amatoris defunctorum præstabilius? est tamen aliquid:

673. *Quid si vir sanctus liberetur?*  
 Vis illud nosse? en subjicio oculis. Age pone ab eo Amatore flammis eximi virum è perfectis aliquem; is quippe & facilius eximetur, quod parum debeat, & Amatori priorum manium longè amplius gloriæ tribuet. fac enim & illum ad quinquagenos ab ingressu Religionis annos vitam produxisse, fac millenos in singulos dies purissimi amoris actus concepisse. Post exactos atatis quinquagenos, cumularit amoris actuum circiter undecim milliones, sive centies & decies centena millia: ac proinde singulis momentis tantum Deum amabit, laudabitque, quantum centies, & decies centena millia infantium cœli incolarum. Sed parum illud. Cùm enim unicuique amoris Dei actus innumeris aliarum virtutum actibus æquivalcat, tantum insuper singulis momentis ab eo viro perfecto laudabitur divina bonitas, quantum ab innumeris imperfectis, de quibus prius egi. Et quod ex his confectarium est, Amator defunctorum, cujus beneficio lustralibus flammis exemptus fuerit, totidem per eum tam eximium divinæ laudis præconem momentis Deum laudabit, quot felicitatem ejus accelerarit; quid si ad unum, duosvè dies? quid si amplius? Quantum hinc emerget gloriæ nostri Amatoris?

674. *Quid si pro omnibus oretur?*  
 Verùm enim verò etiam sublimiora eloqui nobis licet. Nam qui preces, aut satisfactionem ex jejunio, eleemosyna, sacrificio manantem omnibus Purgatorii carceris captivis applicat: is certè, si præfertim non parvo spatium, nec vulgari amore id faciat, illis omnibus, ac singulis tempus contrahit Purgatorii. minuit enim aliquantulum poenam damni simul cum poenâ sensus, ergo visionem beatificam, & cæteream consequentia omnibus & singulis accelerat. Porro in eâ multitudine multi probissimi, multi, qui Numinis olim amantissimi quotidie gratiam per plures annos auxere in millecuplum & amplius, nulli autem infantibus non sunt perfectiores, cùm simul cum baptismi gratiâ, poenitentia ad minimum sacramentum participarint, atque adeò gratiam ex eo manantem. Quamobrem qui pro omnibus defunctis preces fundit, aut aliud opus potens satisfaciendi exercet, tantam per illa pariet Deo gloriam, quam parare nequeunt tot millia Innocentium, & imperfectorum cœlo per tot ætates transmissorum, quibus

potissimè cœlum impletur; & si plurium annorum intervallo hanc pietatem continuat, sensu statim proposito fons & origo erit tot & tantarum Numinis laudum: quot & quantas cœli bona pars tribuere ipsi valeat, quandoquidem semper novos ac novos in cœlum sit expediturus.

Postremò altius adhuc ascendò, & dico hujus hominis charitatem in defunctos, quamdiu durat, singulis prope momentis beatos omnes provocare ad novas Numinis laudes, novamque gratulationem. Quippe, quia omnibus prope momentis è Purgatorio carcere animæ in cœlum migrant, ipsæque omnes, charitatis illius ope liberæ, universos ac singulos cœli incolas ingressu suo, novoque consortio, gaudiis complent, ac laudibus divinæ bonitatis. Quare cùm unus ille Amator defunctorum ingressus illius vera sit causa, est etiam singulis momentis vera causa laudis divinæ, gloriæque ab universis cœlitibus profectæ; Quo præconio quid possit excellentius excogitari?

675. *Noster patronus cœlum gaudet implere.*  
 Nunc igitur, mi frigide Numinis Amator, ad te redeo, & quero, si emergere ex veterno non liber, an non saltem juvet per hosce Numinis cantores, ac præcones divinæ gloriæ excellentissimas ac ferventissimas laudes eidem Numini decantare? Nam si difficultatem metuis, fugisque, quid promptius, quàm eadem gratiâ modicam stipem egentibus impertire, aut desiderium aliquod rei non necessariæ frangere? Quod si facias, recordare quantum operæ pretium facturus sis, quantum amoris, vel in piis illis animis, vel in Cœlitibus excitaturus; quantum gloriæ SS. Triadi semper in omnibus laudandæ redditurus, utcumque animo frigeas, utcumque jejunus ac sterilis piarum cogitationum tibi videare: Certè quidem hæc optima, nec tamen uspiam usurpata ratio est solandi spiritualem suam inopiam, mœroremque ex noxis toties iteratis conceptum levandi, defunctis opitulari; quoniam idem ipsum est innumeros ad supplendam inopiam tuam laudis divinæ invitare, & vicarios oratoresque tuos fidelissimos habere. Etenim si vir quispiam sanctus certo tibi sponderet tua causa gratias Deo quàm propensissimas rependere: animum item suum ad omne obsequium ipsi devovere, & interea nocte dieque laudibus celebrare ejus majestatem, an non ea promissio te solaretur, tristemque & egenum recrearet? Atqui si defunctis auxiliaris, etiam facili ac vulgari stipe ac prece si vel id quod agis, & agere opus est, eorum satisfactioni adscribas, non modò promissum certum,

sed & rem tenes, eos inquam nactus es, quos necessitate quadam obstrictos habes, obnoxiosque divinis laudibus longè, quàm Divi mortales celebrarint, sanctius celebrandis. Hancine igitur charitatem, hanc rationem facillimè egestatem tuam supplendi non studiosè complecti poteris?

677.  
Epilogus  
ad Religio-  
sos.

Sed vos hîc maximè compello, ô Numinis fervidi Amatores. Quanti enim vobis esse debet hoc studium piis defunctorum animas adjuvandi, cum tantæ Numinis gloriæ ferax sit? nonne vel pro eâ solâ gloriæ accessione studiosè ac diligenter diu noctuque mittendæ in purgatorium preces, & transmittendæ animis satisfactiones essent, etsi minimè cruciarentur? nonne pro eâ solâ idoneo rerum æstimatori multa graviora supplicia essent perferenda? Quid eâ causâ non designare viri sancti, ac fœminæ? quid non sunt moliti? Enimverò ad amplificandam Numinis gloriam spectabat, quidquid in eorum actis generosè susceptum legimus, vel ad frangendas animi affectiones, vel ad intestinas corporis inimicitias extinguendas. Quid? offendisse aliquando apud Deum opt. Max. ejusque honori ac gloriæ detraxisse tam acerbum visum fuit S. Catharinæ Genuensî, ut amore Numinis, & odio sui velut ebria justitiam divinam adversum crimina sua invocaret, indulgentiam Pontificiam sibi lucrari cunctaretur, aliorum preces non requireret, veniam pœnæ noxis suis debitæ non rogaret, eo dumtaxat consilio, ut pro meritis lucraret. Tanta honoris divini per se recuperandi cupiditate ardebat! Vos igitur, qui illius amplificandi tam facilem & efficacem modum nacti estis, an negligere poteritis? Cur, quæso, tam flagrantibus votis ad cœlum aspiratis, nisi ut majestatem illam, bonitatemque immensam castius & ferventiùs ametis, ac prædicetis sincerius? At quando id nondum licet, en licet efficere transmissis in Purgatorium precibus, ut eam ipsam, & eâ vestro nomine, & Cœlites omnes vestro beneficio, multo, quàm vos ipsi, vehementius adamant. Ergo transmittite preces, transcribite satisfactiones, sacrificia cumulate; vel unius animæ acceleratus in cœlum ingressus operam omnem vestram plus nimio compensabit gloriæ divinæ amplificatione; quantò amplius complurium liberatio, quas haud dubiè ad eandem fœlicitatem provchetis, si charitatem in defunctos colere pergatis?

## ARTICULUS VI.

*Magnitudo caritatis in pios manes orta ex periculo subeundi pœnas Purgatorii, cui se Defunctorum Amator exponit.*

PARS PRIMA.

*Confertur cum misericordia corporali ac spiritali.*

HÆC una est præcipuis hujus charitatis laudibus. Cum enim mortali quilibet ferè exploratum habeat pœnas expiatrix sibi purgando subeundas esse, easque eò fore acerbiores ac diuturniores, quò minus pro noxis in vitâ fecerit satis. Cum etiam constet eam satisfactionem, quam defunctis, aut vivis assignavimus, nostram amplius non esse, nec pœnas nobis, sed aliis quibus eam assignaverimus, debitas, posse diluere, consequitur ex hac in defunctos charitate manaturum ut purgantes pœnæ Amatorum defunctorum luendæ sint, & quidem graves, ac diuturnæ, quas dissolveret, si satisfactionem suam precumque impetrationem sibi reservaret. Et ea ferè persuasio, vel etiam, ut postea videbimus, formido, multos ab hac caritate deterret, eatenus saltem, ut piis manibus vel omnes, vel præcipuas satisfactiones suas donare prorsus recusat, licet preces, & subinde indulgentiam aliquam & nonnihil operum satisfacere potentium charitatis impulsu ac præcepto concedere consueverint.

678.  
Occasio-  
lius peri-  
culi.

Ex quo excellentia fluit pietatis, ac misericordiæ eorum, qui eo metu, ac periculo neglecto pios manes omni, quâ licet, ope juvare contendunt, parati eorum causâ expiatrix illis flammis cremari, quando Deo ita visum fuerit. Quare omnem, aut prope omnem suam satisfactionem iis transcribunt, aut eam saltem, quam sibi olim necessariam fore existimant. Quorum numerus, jam (quæ Dei gratia est) non mediocris est, crescitque in dies vehementer, atque ut magis, magisque crescat, ejusmodi charitatis decus ex hoc capite demonstrare nunc conabor.

679.  
Pios non  
deterret.

Imprimis hoc perspectum est, & alias diximus, huic caritati nobilitate cedere

680.  
Quod cha-  
omne

*ritas hæc corporalem misericordiam superat.* omne genus misericordiae corporalis. Enimvero satis liquet famem, sitim, frigus, & alia corporis mala, quibus hac misericordia mederi solet, cum unicâ corporis conflagratione conferri non posse: tantum abest, ut animæ purgandæ incendium valeant æquare. Nec multum refert, quod charitas in defunctos nullum jam dolorem inferat, nulli, aut fere nulli labori Amatorum illorum obnoxium reddat, uti misericordia corporalis, quæ semper cum labore ac difficultate conjuncta est. Nam eo omni labore gravius est exponere se periculo tam gravis incendii. Et verò quis non malit stipem largiri, ægros solari, peregrinos excipere, quàm certo ac publico patibuli, aut ignis supplicio expositus vivere? Quid verò patibuli ac crucis periculum ad illud Purgatorii? atqui singulis momentis, quemadmodum mortis, ita Purgatorii propè abest periculum: & licet mortem ac Purgatorium procul distare facias, tamen aliquando eventura non ignoras. Neque iterum objicias id periculi non magnopere expendi solere, atque adeò minimè grave esse illud vel sic adire. Nam imprimis tu ipse dum hæc legis, illud discrimen attendis, siquæ postea pro defunctis ores, aut stipem eroges, facile recurret ea cogitatio; & si non multum feriat, forsân inde fit, quòd caritas metum abigat, propter futuræ patientiæ securitatem. Deinde agimus de naturâ charitatis eam attentionem ciere, & tantorum cruciatuum metum fortiter abigere natæ, dequæ iis, qui eam adhibent. præterea ut ablit tantus metus ac difficultas, tamen Caritas generatim, & nominatim hæc Caritas longè nobilior obiectum sortita est. Rursum igitur rectè pronuntiamus illam omne genus misericordiae corporalis naturâ ac nobilitate superare.

*Et Spiritualem.*

Jam si eandem caritatem cum operibus misericordiae spiritualis componere placet, hæc enumerari solent. Peccantes corrigere, Ignorantes docere, Dubitântibus rectè consulere, Pro salute proximi Deum orare, Consolari mæstos, Ferre patienter injurias, Offensam remittere: quæ quidem singula plurimum laudis merentur, tendunt enim ad procurandum animarum salutem, de quâ Chrysostr. Hom. 3. in Genes. *Nihil, inquit, ita gratum est Deo, & ita cura, ut animarum salus; Sicut clamat Paulus dicens, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* ita Chrysostr. qui paulo post sic pergit, *ut sciatis quantum bonum sit, cum salute nostrâ alienam lucrari, audi Propbetam ex persona Dei loquentem, Qui educit pretio-*

*sum à vili, quasi os meum erit. Quid est hoc? qui ab errore ad veritatem, aut, manuduxerit pro virili humano me imitatur.* Hæc & alia Doctor Aureus, & alii Patres. Et fateor equidem longè pluris esse debere cæteris paribus si quis author sit salutis alterius, quàm si ejusdem, imò & plurimorum liberationem è carcere Iustali obtineat. Sed tamen nonnulla sunt, quæ charitatem in defunctos supra hoc genus misericordiae extollunt. Etenim tendit quidem ea misericordia ad gratiam Dei proximo conciliandam, sed quàm frequenter sine suo frustratur! At numquam suum non assequitur charitas in defunctos: semper enim illis prodest, si non quibus beneficium destinavit, certè aliis, quibus Deo fuerit placitum. Deinde esto, gratiam misericordiae illa suis miseris comparet, an propterea gloriam? An si Theſſalonicenses hoc Pauli consilium cap. 5. secuti sunt, *Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini invicem, & ad omnes:* An, inquam, si ea præstitierint, vel Paulus vel alii omnibus illis miseris gloriam compararunt? Forsitan ne gratiam quidem, & fortè, ut fit, remedio deteriores evasere. Denique id potissimum observa, nec primam hominis gratiam, nec perseverantiam cadere sub meritum de condigno. At multorum, graviumque Theologorum sententiâ satisfactionem alterius, alteri prodesse ex condigno. Deinde etsi dixeris ex congruo dumtaxat illi suffragari, tamen longè certius eidem prodest, quàm oratio, aut aliud opus Deo pro aliis oblatum valeat ad obtinendam iis gratiam primam, aut perseverantiam, cum satisfactio lytrum contineat æquale pœnæ illi, quam redimit. Qui ergo illam exhibet, certior est pœnam etiam alterius redimendi, quàm alter alteri gratiam primam aut perseverantiam obtinendi, pro quo vel orat, vel quidpiam aliud facit. Maximè cum receptum sit quempiam pro se ex condigno satisfacere, & pariter ratum neminem sibi gratiam primam, aut perseverantiam mereri posse. Ex quibus efficitur caritatem in pios manes non paucis ex captivibus antistare misericordiae spirituali, esto ponatur hujus ope non paucos salutem consequi.

## PARS SECUNDA.

## Comparatur cum Martyrio.

681.  
Martyrii  
prærogati-  
va.

VENIO nunc ad martyrium, id est ad summum caritatis, & Christianæ fortitudinis pignus, & cum eo caritatem nostram comparo. Et Christus quidem, *Maiorem, inquit, charitatem nemo habet, quàm ut animam suam, id est, vitam, ponat quis pro amicis suis; Et aliàs Matth. 5. cum cæteras beatitudines recensuit, extremam hanc ponit, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Ubi Augustinus, Octava, inquit, nempe beatitudo, consummatum perfectumque hominem ostendit, & probat. Disertissimè verò Bernardus hanc martyrium prærogativam vocat. Octava, ait, beatitudo, Martyrium est prærogativa, nempe ut Regnum cælorum ceritè assequantur propter Christi promissionem & hic & in Mattheo expressam, cum ait, Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam, unde existit sententia Theologorum omnium, munita totius Ecclesiæ consensu, Martyrium baptismum sanguinis esse, rectaque in cælum Martyres transmittere, sive id fiat ex opere operato, ac propter Christi promissionem præcisè, sive etiam propter summam in eum charitatem Martyrio conjunctam, qua Martyr vitam suam, omni videlicet bono temporali cariorem ejus gratiâ contemnendo, cætera quoque eadem causâ contemnere censetur, & corpus animamque Dei gloriæ prorsus impendendo, (ita ut plus dare non possit) omnem pœnam extinguere ac plenissimè pro noxis satisfacere existimandus est.*

682.  
Charitas  
in defun-  
ctos est  
Martyri-  
um flami-  
nis.

Ut igitur contentionem caritatis in defunctos cum Martyrio ineamus, observo primùm baptismum quoque flaminis Theologis receptum esse, eumque non aliud dici, quàm actum perfectæ charitatis, quo velut baptismi sacramento culpa simul ac pœna omnis remittitur. Quærendum ergo, qualis esse debeat ea charitas, cui vis illa remittendi tribuenda videtur. Et constat profectò eam vim illi tribui oportere, cujus impulsu, Dei causâ, vita, si necesse sit, profundatur. Hinc verò conlectarium est charitati in defunctos idem prærogativæ assignandum esse; si quidem, ut dixi, hominem eo usque impellat, ut pro piis manibus propter Deum dilectis, si opus foret, mors libenter oppeteretur. Jam demonstro ejusmodi impul-

sum illius naturæ competere. Nam qui revera ita animo comparatus est, ut supplicia Purgatorii, morte multò acerbiora, eâ causâ perferret; morti, credo, eadem causa caput offerret, si res postularet: Ergo vera illa charitas in defunctos, quæ satisfactiones suas, fortiter contempto Purgatorii periculo, piis manibus addicit, addiceretque, etsi necessitatem suam futuram velut præsentem ceritè prævideret, Martyrium flaminis dici meretur.

Nunc itaque iterum quæro, an Martyrium flaminis præstare possit Martyrio sanguinis. Nec dubito quin affirmandum sit. Perspectum est enim multos Confessores in cælo Martyribus præcellere; nimirum ob præstantiorem charitatem majoris gloriæ feracem. Igitur si ostendam nostram in defunctos charitatem identidem plus posse ab Amatore piorum manium obtinere, quàm sua charitas à Martyre; confecerò charitatem illam in defunctos posse Martyrio sanguinis præcellere. Et id aperte, ni fallor, ostendo. Ad Martyrium etenim sufficit, ut ex charitate Christi, vita profundatur. At charitas in defunctos impellere potest, ut plus aliquid fiat, nempe ut lustralis ignis ad aliquod temporis spatium perferatur. Si igitur hæc charitas talis sit, qualis esse deberet, & esse nata est, Martyrio sanguinis non cederet, verùm illud superabit, & ad illustriorem in cælo gloriam Amatorem piorum manium extollet.

Utrùm autem identidem talis, & tanta sit, videtur ambigendum. Tamen enim multi ejus cultores satis intelligant, pro noxis vitæ antea sibi manere Purgatorios cruciatus, eoque fore longiores, atrocioresque, quò minus satisfactionum sibi reservarint; tamen nihilominus ex verâ in Deum, ac Sponsas ejus, animas, charitate, satisfactionibus quotidianis sese exuât, ut eas in cælum expédiant: tamen futura mala multò languidiùs feriunt animum, quàm præsentia, potissimùm ubi fides, ut in multis assolet, languidior est: & aliunde spes illa evadendi semper blanditur: atque ut de fortitudine animi non nihil decerpit: ita minuit meritum. Quod si quis pati malis robore virtutis, aut etiam suppatri, iis se ultrò exponat, (ut qui sub vitæ finem, dum mors instat, & velut è vicino lustralium flammaram crepitus audiri videtur) quid abest, quin hunc talem & Martyrem caritatis, & pluribus Martyrum excellentiorem existimemus? præsertim cum charitatis hujus Martyrium sæpe iteretur; toties nimirum, quoties in mentem recurrit sibi ab iis demi, quo maximè opus habebunt;

683.  
Potest super-  
rare Mar-  
tyrium san-  
guinis.

684.  
Rarius su-  
perat.

Patrocinium Defunctorum. Lib. II. 231

bebunt; lytrum in alios dividi, quo carcerem illum redimerent; in pios manes velut effundi sanguinem Christi, quo ignem suum aliquando extinguerent. Quod si Martyrum fastis 28. Februarii ascribuntur, qui anno Christi 255. Alexandria in subsidio peste infectorum, cui se sponte addixerant, mortui sunt; nonne pari jure frui potest Amator animarum, qui eo, quo diximus, modo earum causâ exponit se tormentis Purgatoriis? Certè & hic abundè præstat quod Joannes monuit, *ut animam suam ponat pro fratribus suis*; nec enim solum vitam, sed revera animam cruciatis exponit, præ quibus mortis supplicium delictum nuncupari possit.

PARS TERTIA.

Comparatur cum Devotione  
Mosis, & Pauli.

685. *Mosis charitas.*  
**Q**UAMOBREM conferamus ad extremum charitatem nostram cum eâ, quam meritò omnes SS. Patres vehementer prædicant, Moyse, & Pauli charitate, quæ ille *de libro vitæ deleri*, hic *anathema esse à Christo pro Judæis fratribus suis optabat*. Porro variæ sunt hujusmodi voti interpretationes. Cùm enim Moyses Exod. 32. Deum deprecans veniam, sic ait: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*. Caicitanus accipit librum, seu decretum principatus, quasi dicat Moyses, *Ne me principem alterius gentis crea, si hanc gentem perdis*. Hieronymus verò intelligit librum vitæ mortalis: quasi dicat: *me quoque interfice*. Quæ quidem interpretationes parum aliis placent, quòd liber Dei decretum prædestinationis, vel inchoatæ, vel perfectæ in sacris litteris significet. Sed ut placerent, quis nescit principatus aut vitæ privationem nihil esse ad Purgatorias pœnas?

686. *Interpretationes congruæ.*  
 Divus Thomas, ut priùs diximus, vult hîc quidem de jacturâ beatitudinis agi, sed dumtaxat temporariâ. Verùm neque id est deleri de libro vitæ, seu beatitudinis, sed in eo scriptum relinquî, differrique ad tempus aliquod; & præterea votum hoc temporalis jacturæ beatitudinis in gratiam aliorum, etiam cedit charitati nostræ, quæ præterquam quòd pœnæ damni, etiam pœnæ sensus se subjicit. Adhæc D. Augustinus q. 147. cùm aliis censet Moysem hyperbolicè loqui, tantumque significare ingens desiderium salutis Judæorum, perinde ac si filius cernens à parente servum, sibi charissimum domo ejici, parenti dicat,

quæso noli eum domo ejicere, aut si velis, me quoque cum ipso ejice. Quæ quidem interpretatio moralis, & congrua est: sed si vera est, non inerat Moyse desiderium, nec absolutum, nec conditionatum patendi jacturam beatitudinis, aut temporalem, aut perennem; cùm tamen Amator animarum absolutè jacturam illam temporalem, simulque flammam atrocissimas peti velit, dummodo vel sic defunctis auxilietur.

Cornelius denique in eum locum, sic 687. *Interpretatio Cornelii.*  
 Mosen explicat, quasi dicat: *Malo deleri de libro tuo, quàm populo culpam non dimitti; aut ergo dimitte, aut dele me; nam intolerabile mihi est scribi in libro tuo, & populum ex eo deleri: populum enim pluris facio, plus diligo, quàm meipsum, cùm præstet me unicam, quàm tot milliones deleri*. Quem explicatum probat ex Hebræo, ubi sic habes, *Si dimittis, & si non; dele me de libro tuo, quem scripsisti*. Quæ verba ob vehemens pathos abrupta & concisa sic expleri possunt: *Si dimittis, dele me de libro tuo, quasi dicat, opto deleri, ut iis parcas: & rursus si non dimittis, etiam oro ut me deleas*. Hæc Cornelius: qui post objectioni respondens, significat Mosen comparasse conscriptionem suam in libro vitæ, suamque ipsius gloriam, cum gloriâ Dei, & salute populi; maluisseque se suam carere, quàm Dei gloriam periclitari. Verum enimverò illud dele, ut dimittas: si quidem votum absolutum significet, errabat Moyses, ratus gloriæ suæ jacturam conducere ad veniam populo impetrandam: si autem significet mixtum huic conditioni votum: *dele me, si id possit conducere*, ignorabat non posse conducere: quod utrumque à tanto viro removendum est: Cæterùm si id tantum in ea interpretatione attendatur, ut dicat Moyses, malle se suâ ipsius, quàm Deum eâ gloriâ carere, quam ex populi Judaici salute emergere oportebat, id votum est Amatoris piorum manium, mavult enim jacturam aliquam pati beatitudinis suæ, quàm Deum tantâ gloriâ, tantisque laudibus, quas ex acceleratione beatitudinis defunctorum percipiet, privari. At insuper eadem causâ atrocissimis rogi expiatorii flammis animam exponit.

688. *Confertur cum charitate Pauli cum ait: optabam anathema esse.*  
 Quod ad Pauli dictum attinet, censet Suarius esse conditionatum, quod, ut ratum sit, sic explicandum, ut non modo tempus præteritum, sed & præsens designet, sumaturque verbum, *optabam*, pro *optarim* nempe si conduceret. Quomodo Paulus aliàs, *vitam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ*, ubi Græce *ὄψελον ἀνέμεσονδε,*

*evēto* De, id est, *utinam sustinebatis*. Et Augustinus tract. 5. in Joan. *Quando Lazaro inferebatis necem, numquid Domino aufererebatis potestatem? pro si inferretis, auferetis*. Vide etiam Estium in hunc locum. Cæterum si hæc eadem conditio Moyſis imprecationi subintelligatur, quasi sic diceret, *velim, si hoc conduceret, deleri de libro vita, & ingentis caritatis specimen erit, & eum ab erroris, aut ignorantie suspitione liberabit*.

Et fateor equidem ejusmodi caritate & Moyſis & Pauli, inferiorem esse nostram in pios manes charitatem. Et hoc sensu accipio, quod Chryſostomus in cap. 9. ad Romanos docet; *Mosen, & Paulum transcendisse cogitatione non tantum omnes presentis vita agones, & mortes, sed etiam pro Deo, quem magis, quam seipſos diligebant, celos, & Angelos prætergredientes, omnia invisibilia sprevisse, & pro Dei amore ab ipsa Dei fruitione, beatitudine, & ineffabili gloria, (hanc enim significat liber vita, vel liber Dei) excidere non tam petiſſe, sed revera, & serio optasse. Quasi dicat Moſes, dele de libro tuo, ut scilicet non perveniam ad æternam beatitudinem, ad quam me conscripſisti. Inde, inquam, dele me potius, quam populum hunc tuum, ac meum deleas ac perdas*. Ita Chryſostomus. Quem sequuntur Theophilactus, Oecumenius, Cassianus, Bernardus.

689.  
Ad quam  
accedis.

Verumtamen pronuncio Amatorem piorum manium ad hanc Moſis, & Pauli charitatem prope accedere. Licet enim sua illum charitas non impellat ad ejusmodi votum æternæ suæ beatitudinis, potius quam salutis alienæ amittendæ; tamen temporali excidere non recusat. Deinde conditionata vota non tantopere animam afficere solita sunt, quantopere absoluta, si præsertim conditio impleri non potest, ut in votis Moſis, & Pauli. Præterea Amator defunctorum certò statuit, & beatitudinis suæ jacturam, & pœnam insuper lustralium flammaram sibi esse subeundam.

#### COROLLARIUM.

*Caritas hæc, brevis est ad perfectionem via.*

690.  
Potest ad  
perfectio-

CÆTERUM ex his sat patet magnitudo atque excellentia ejusmodi in defunctos charitatis. Cum enim nobilif-

simis charitatis generibus, vel superior, vel par, vel certè suppar sit, conficitur hujus decus esse præstantissimum, maximè si quis ejus impulsu, plerasque aut omnes suas satisfactiones à se abdicet, ut in usus piorum manium convertat. Quare existimo hanc ipsam charitatem posse homines Religiosos ac Christianos ad excelsum perfectionis ac sanctimonie gradum brevi promovere, atque eo nomine omnibus commendandam esse. Et si enim non paucorum criminum sunt rei, atque adeò & pœnæ diuturnæ: tamen criminum maculas satius est eluere, quam dissolvere pœnarum vinculum & obligationem: charitas autem in pios manes, ut heroica, sic crimina faciliùs & plenius eluet. Quod si pietatis ac sanctimonie studiosi sint, atque ad Numinis, ac summi boni visionem ex ejus ardenti amore aspirant, ut Pauli, Ignatii, Theresiæ, Caratæ, aliique, facillè solabuntur vota sua spe majoris Dei gloriæ, cui si sincère Deum adament, beatitudinem suam gloriæque omnem sine contròversâ postponent. Quod si divina charitas Alphonsum Rodriguez Soc. Jesu fratrem Laicum, at in eo humili gradu illustrissimum virtute, sublimemque rerum divinarum cognitione virum, eò usque impulit, ut pro infimo orbis mancipio pœnis tartari præripiendo, ipse tartari pœnas æternas perpeti paratus esset; an non vera charitas viris, quantumcumque conspectus diuini studiosis persuadere poterit, ut levamenti tot piorum manium, & tantæ Numinis gloriæ ex eo manaturæ causâ, ipsi se bono suo ac felicitate tantisper privent?

Si rursus hinc objicias doceri nos à Christo ut sic Patrem æternum precemur, *Adveniat regnum tuum; respondebo & prius, doceri, ut sic precemur, sanctificetur nomen tuum*: Et verò sanctificationem, seu gloriam æterni Patris omni nostræ felicitati, regis que in cælo dignitati, anteferri oportere. Adde eò magis in nobis regnaturum Deum, quò major ac generosior charitas nos reget, ac nobis dominabitur: neque verò futurum, ut si pios manes satisfactione nostrâ donemus, regnum Dei nobis minimè adveniat: sed ut certius, majorique nostro merito ac felicitate veniat, licet fortè tantisper ejus ingressus differatur. Constet igitur & summum esse charitatis in defunctos decus, & eam omnibus singulariter esse commendandam.

691.  
Non pug-  
nat cum  
petitione:  
Adveniat  
regnum  
tuum.

CAPUT QVARTVM.

Ad subsidium Defunctorum ipsius Numinis ac  
Cælitum misericordiâ provocamur.

ARTICULUS I.

Divinam pios manes mi-  
sericordia.

692.  
Misericor-  
dia, Dei a-  
nima.



DEO Numini propria inti-  
maque est misericordia, ut, si  
humano more de eo loqui fas  
est, misericordiam, ejus ani-  
mam dicere possimus. Quemadmodum  
enim in homine, ab animâ fluit motus om-  
nis, vigorque, ac pulchritudo; ita quidquid  
sponte suâ inter homines agit Deus, ad id  
agitur moveturque impulsibus misERICOR-  
diæ, & cum iis urgetur, vigere ac florere  
videtur. Et verò notum est Theologis,  
quæcumque extra Deum fiunt, per Spiritum  
Sanctum, sive per Amorem, atque ex  
amore fieri: Cùm autem amor ille in mor-  
tales feratur, atque adeò in miseros, ac  
inopes, misericordia dici potest, & hæc  
ipsa principium ac fons omnium circa ho-  
mines actionum Dei. Cui quidem admi-  
nistra additur Sapientia divina, nempe ut  
rationes, artemque inveniat, qua miseri-  
cordia suavius, abundantiusque exerceat-  
tur. Jam misericordia à misero corde no-  
men derivat, quippe tacto miseria ejus,  
cujus vicem dolemus. Cùm igitur ex mi-  
sericordiâ divinâ cuncta promanent, scili-  
cet ex corde Patris æterni miseriis nostris  
tacto, & velut misero promanant, & miseri-  
cordia cor Dei, sive anima nuncupari po-  
test. Quod certè indicare videtur Salo-  
mon Sap. 2. quando de divina bonitate sic  
exclamat, O! quàm suavis est Domine  
spiritus tuus: ubi bonitatem, ac misERICOR-  
diam Deo innatam Spiritum appellat, quod  
ejus afflatu atque impulsu cuncta Deus mo-  
liatur, quod nihil aliud, quàm miserationem  
spiret, quod denique animæ instar,  
fons ac principium sit omnium divinarum  
actionum.

693.  
Maximè

Quod si misericordia Deo tantopere

cordi est, dubitari nequit, quin maximam <sup>misericor-</sup>  
exhibeat defunctis: Etenim ut crebrò di- <sup>dia in de-</sup>  
cere oportuit, eorum miseria alias omnes <sup>functos.</sup>  
maximopere superat, & dignitas filiorum,  
amicorum, Sponsarum Numinis, maxi-  
mam iis apud ipsum gratiam conciliat, &  
indubitata spes, jusque inviolabile cælo  
potiendi, cælestis regni non modò candi-  
datos efficit: sed & propè Principes ac Re-  
ges. Quid dicam omnes illas causas bea-  
titudinis, quas Christus proposuit, ad pios  
manes pertinere? Nam & pauperes spiri-  
tu sunt, id est, humiles, & rerum tempo-  
ralium despectores: item mites, & miseri-  
cordes, & pacis studiosi, & præterea lugent,  
ac propter justitiam æquissimo animo pa-  
tiuntur: quamobrem abesse non potest,  
quin tot nominibus beatitudinis ac divini-  
tatis hæredes, sint illi acceptissimi.

Itaque statim ab opere redemptionis, <sup>694.</sup>  
Christi morte peracto, ipse Christus ad in- <sup>Pater ex</sup>  
feros descendit, ut & Sanctos Patres è lim- <sup>Christi in</sup>  
bo, & animas, saltem maximam partem, <sup>eos amore.</sup>  
Purgatorio educeret. Illustrat hoc dupli-  
ci ac venustâ similitudine S. Vincentius  
Ferrerius Serm. de Sabbato Sancto. *Prima*  
*est, ait, de Rege noviter coronato, intran-*  
*te civitatem, qui liberat omnes captos, nisi*  
*sint capti pro interesse partis. Sic Rex glo-*  
*ria Christus noviter coronatus corona str-*  
*narum intrans Purgatorium. Et post pau-*  
*ca; Secunda similitudo, inquit, est de Papa*  
*noviter creato, qui tunc concedit largas in-*  
*dulgentias, & gratias quàm plurimas;*  
*quanto magis Papa IESVS, qui est domi-*  
*nus gratiarum, & indulgentiarum, quia*  
*Papa eius vicarius non est dominus Eccle-*  
*sie, sed dispensator, & procurator. Cùm*  
*ergo Papa sit tam liberalis, quàm magis*  
*Christus, qui est Dominus. Ita ipse, qui*  
*etiam docet ab ipsâ conceptione Christo*  
*à Patre æterno propositam animarum pur-*  
*gandarum libertatem ut mortem promp-*  
*tius admitteret. Hæc enim est illius ora-*  
*tio Serm. de S. Thoma Cantuariensi. In*  
*puncto conceptionis Deus Pater aperuit sibi,*  
G g id est

id est Christo, *librum prædestinationis dicens, Fili ecce quot Sancti in Limbo, & quot animæ in Purgatorio; & numquam poterunt cælum intrare nisi per tuam passionem, & mortem dolorosam: Vis eam sustinere? respondit, placeat mihi.* Hactenus vir Sanctus. Nec verò studium pios manes juvandi toto vitæ spacio remisit: Siquidem Caietanus illud Joannis de Christo; *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos,* sic intelligit, ut mundi nomine, etiam Purgatorium accipiat; quippe in quo Christus haberet suos: cum igitur eos toto vitæ tempore dilexisset, in finem, id est, usque ad benevolentiam summam perfectionem, dilexit eos. Porro ex eâ fluxit insita illa Christianis jam inde à temporibus Apostolorum sollicitudo illis opitulandi, quam ex S. Jacobi Liturgiâ superius prolata, atque SS. Dionysii, ac Clementis testimoniis confirmare licet. Inde sepultura, & exequiâ Christiano ritu semper per consequentes ætates instituta, inde antiquissima preces pro iis fundi solita, inde annua defunctorum commemoratio, sacrificia piacularia, Indulgentiæ, & hujusmodi, quæ Spiritu divino velut animata Ecclesia jam inde à longissimis temporibus instituit.

695. Neque eam suam voluntatem in pios manes propensissimam Deus amicis suis patefacere prætermisit. Nam æternus Pater D. Catharinæ Senensi Dialog. cap. 148. *Animabus, inquit, in Purgatorio providi, quod vos, qui nunc estis in corpore viventes eos adjuvare potestis elemosynis, ieiuniis, orationibus, & aliis piis operibus in statu gratiæ factis.* Et Christus pluribus locis D. Birgittam docet modò carceris lustralis cruciatus, modò rationes iis sese, & alios eximendi, nempe ut eam & nos ad miserarum animas adjuvandas excitaret.

696. Sed eandem in pios manes benevolentiam ita quondam S. Gertrudi factò ipso, atque insigni beneficio aperuit. Sic enim, vitæ illius author. In nocte beatissimâ, gloriosissimæ Resurrectionis, dum ante matutinas devotæ orationi incumberet, apparuit ei Dominus JESUS, florens, & amœnus in gloria divinæ Majestatis, & decore perpetuæ immortalitatis: Ad cuius pedes ista procidens eum humiliter, ac devotissimè adoravit, dicens; *Cum tu Sponsè, flos ac decus Angelorum, & gloria, me omnium creaturarum extremam tibi eligere dignatus sis in sponsam, & ego solius tui laudem & gloriam ex intimis cordis & animæ medullis desiderem, & sitiam, & tuos amicos meos propinquissimos reputem, ergo peto, JESU amantissime, ut*

hac horâ ob reverentiam jucundissimæ Resurrectionis tuæ absolvere digneris animas omnium spiritualium tuorum: ad quod citius obtinendum in unione innocentissimæ Passionis tuæ offero tibi omnem tolerantiam cordis, & corporis mei, quam pertuli in continuis infirmitatibus meis. Tunc Dominus cum mira blanditate ostendit multitudinem animarum à pœnis absolutam: dicens quia æternaliter apparebit in cœlis, quod tuis sint precibus liberatæ, & hoc coram omnibus Sanctis meis cedit tibi jugiter in honorem. Tunc illa, *Et quantus est earum numerus? Respondit Dominus, Numerum earum solius divinitatis meæ scientia complectitur: cumque ista intelligeret animas illas, quamvis à pœnis liberatas, nondum tamen æternis gaudiis sociatas, præbuit se totam divinæ pietati ad tolerandum in corde & corpore quæcumque sibi placerent, pro eo, ut animabus illis plenam beatitudinem conferre dignaretur: Tunc placatus Dominus omnes eadem horâ sublevavit ad gaudia cœli. Hinc post horam dum gravem sentiret laterum dolorem, & coram quadam imagine Crucis genua flecteret, Dominus laborem, & dolorem ejus cõtulit in augmentum gaudiorum suorum dicens: Hoc munus devotionis mihi ex tanto affectu à Sponsa mea oblatum, exhibeo vobis in cumulum beatitudinis sempiternæ, vosque ipsam propterea honore condigno rehonorare studete, precum ipsi xenia remittentes.* Ita narrat Gertrudis Insinuat. l. 3. c. 27. unde intelligis propensam Redemptoris in pios manes voluntatem: cum vix rogatus tantam eorum multitudinem ei donatam cœlo statim intulerit.

697. Simile est, quod in actis Catharinæ cog-nomento pulchræ propter singularem venustatem, legere est. Fuerat hæc Romæ, ubi palmari lasciviâ juventam depravaverat, à S. Dominico ad vitam meliorem traducta, ope Magnæ Virginis, cujus rosarium fertum frequens legebat. Addiderat sero ejusdem Mariæ consilio, piam in se crudelitatem, quâ flagellis, ac virgis, quâ unguibus, quâ tormentis aliis in corpus sæviendo. Cum hæc in defunctorum gratiam actitaret, visa sunt è puelli cujusdam membris, Jesum intellige, dimanare ss. flumina, atque in purgantes flammâs defluere: quæ scilicet lustrandas animas mirificè recreant. Enimverò horum affluxu aliæ mitigato igne Catharinæ gratias, ac laudes Christo concinebant, aliæ illo extincto sæliciter emergebant è lacu flammæ, omnes suo, vel aliarum bono gaudebant. Sed nulli

697. Catharina pulchra.

nulli ea charitas Numinis adeò luculenter ostensa est, ut Christianæ mirabili, quam libro superiore diximus à Christo velut rogatam, ut beatitudine tantisper dilata ad vitam redux, piis manibus suppetias ferret. Quem in finem vires, animumque supra indolem ac naturam illi impertiit, & miracula tamquam prodegit, ut defunctis efficacius posset adesse.

698. *Patet ex minis in adversarios defunctorum.* Quamobrem haud mirum est minas non raro in defunctorum adversarios esse divinitus, intentatas. Quidam Sacerdos sacrum non aliud, quam pro defunctis faciebat. Defertur ad Episcopum, & propterea facere vetatur, atque ut aiunt, suspenditur. Non tulere hanc poenam pii manes, & viâ sibi à Numine factâ, Episcopo per cæmeterium ad matutinas preces vadenti sese obvios obtulere, quisque cum artis olim suæ instrumentis: & minaciter in eum insurgentes, *Ecce, inquebant, praesalem qui nec pro nobis operatur sacris, & insuper vetat operari: va tibi, ni secus faxis, brevi moriere*: Exhorruit, & veniâ Sacerdoti suspenso factâ, & ipse piorum manium causâ preces & sacrificia cumulavit. Vide Vinc. Belvac. Spec. mor. l. 2. dist. 13. p. 1.

699. *Aliud exemplum.* Alius quidam Sacerdos egens, solitus erat Missam defunctorum quolibet die patrare; Episcopus accersitum spondere jubet emendationem, & requirit sponsonis vadem. Ille, quia pauper, hic hære. Sed en vades è Purgatorio. Nam Episcopus dehinc plus mille manus sibi tendi supplices conspicit, & statim mandatum revocat, & facultatem dat, quoties vellet eandem de defunctis Missam faciendi: ita Cantipratanus l. Apum. 2. c. 53.

*Aliud.* Religiosus vir sacrificia, officiaque ferè omnia de defunctis obibat; ea res Priori displicuit, qui & eum ideò corripuit. Sed cum nocte insequenti cæmeterio propior factus esset, voces audivit querentium, mirantiumque illi mortem, nisi suum, ut defuncti vocabant, advocatum, subsidiumque illis redderet. Lagghi. tract. 7. de Missâ dist. 3. c. 27.

*Aliud.* Narrat etiam Durantus lib. 7. de officio mortuorum, & Lagghi ibidem Abbatem quempiam, quòd vetuisset fratres Dominicis diebus facere de defunctis, pessimè ab his habitum ac percussum, incunctanter legem reflexisse. Adeò in Deum pugnat, qui in defunctos.

700. *Non tamen hæc jam imitanda.* Cæterum si hæc accidere, cum Ecclesiæ lex lata esset de Missarum ordine, præter ordinem accidere, ideoque majorem Numinis in defunctos benevolentiam denotant. Si ante Ecclesiæ legem, nihil mi-

rum accidisse. Nunc tamen circa Missas, & ejusmodi, ordo, ritusque ab Ecclesiâ præscripti servandi sunt; maximè cum Missæ quælibet propè æqualiter defunctis possint prodesse. Cæterum ex his & ejusmodi fat manifestum est Deum præcipuo quodam studio in defunctorum levamen ferri, & eorum amicos defendere.

## ARTICULUS II.

### *Immaculata Deipara exemplo suo ad pietatem in defunctos nos excitat.*

CUM de Immaculatæ Mariæ charitate, ac misericordia in pios manes agendum sit, eia tantisper ludum facti amoris ludamus. Dico igitur, & audacter dico, Deiparam partu unico prolem edidisse geminam, masculam alteram, JESUM CHRISTUM, orbis Redemptorem; alteram muliebrem, misericordiam ejusdem orbis servatricem. Eo enim pacto Mater misericordiæ nuncupatur. Ac filium quidem illum unicum genuit, quia unicus valebat omnes, & plusquam omnes. Et filiam illam etiam unicam generavit, quia tam amica virgo, quidquid agat, amor, & misericordia sit, necesse est; ac maximè, cum Deum ex amore & misericordia factum hominem parit. Porro filium illum Deum, hominemque semel tantum nec sæpius generavit, quia semel eum mundo dare sufficit, *in quo sunt omnes thesauri sapientia & scientia Dei*, ac totius SS. Trinitatis. At misericordiam, Patrem æternum in filii generatione imitata, semper concipit, & semper gignit; nec enim esse, aut vivere potest, nisi cogitet cogitationes pacis, nisi concipiat, pariterque misericordiam enitatur. Certè ex quo mater Dei facta est, nullus dies, nulla horula, nullum temporis momentum abiit, quo misericordiam orbi non ederet, quia numquam cessavit, aut cessabit orbis parere miseriam.

Sed hætenus sanctè lusum sit; si verò Immaculata Deipara numquam non misericors in mortales, an suam in vitâ functos misericordiam desiderari patietur? minimè gentium: sive, quia hi, ut Christo, ita & Christiparæ chariores, sive quia cum miserimi sint, quod miserix caput est, miserias suas levare nequeunt. Quare præcipuâ quadam ratione Matris misericordiæ interest eos solari, atque adjuvare: nam quemadmodum matrum pietas tenellis maximè

maximè infantibus debetur ac redditur, quòd maximè sint infirmi: ita matris illius piissimæ misericordia piis manibus, cum & infantes sint, sive impotes pro se apud Deum fandi, ipsumque exorandi, & virtute se juvandi planè destituti. Sed mihi ne crede, crede ipsi veritati. Etenim l. 1. Revel. S. Birgittæ, amantissimæ Matri filius ait, *Tu es mater mea, tu Regina cæli, tu mater misericordiæ, tu consolatrix eorum, qui sunt in Purgatorio, tu lætitia eorum, qui peregrinantur in mundo, tu es Regina Angelorum, Tu cum Deo excellentissima.* Ita ipse. Et observa, mentionem de Purgatorio nullam eo capite aliam fieri, neque agi de animarum ex eo liberatione, ut intelligas ultrò, & ex ingenti filii studio Matrem recreandi, dici illam consolatricem piorum manium, quòd id nominis noverit illi esse gratissimum. Quare aliàs eandem Matris Misericordiam vehementer commendat. Cum enim cujusdam defuncti causâ, audiente S. Birgittæ ita dixisset B. Virgo. *Benedictus sis, tu fili mi, pro iustitia tua, quæ est in omni misericordia; licet enim nos omnia videamus, & sciamus in te: attamen ad aliorum cognitionem, dic, quale remedium adhiberi debeat, quod minuat tam longum tempus pænæ, & quale ad hoc, quod extinguatur tam savus ignis, & quomodo etiam liberari possit ista anima à manibus dæmonum.* Respondit. *Tibi nihil potest negari, quia tu es Mater misericordiæ, & misericordiam, & consolationem omnibus procuras, & inquiris.* Hactenus Christus; qui statim Matris quæstioni satisfacit: ac postea, cum satisfacisset, & illa gratiam aliquam animæ illi purgandæ petisset, Respondit filius, *Benedicta sis, tu Mater charissima, tibi nihil potest negari, fiat voluntas tua, ut petisti, sic fiat;* Respondit Mater, *Benedictus sis tu dulcissime fili mi, pro omni charitate, & misericordiâ tuâ.* Hæc filius. hæc Mater l. 6. Revel. c. 39.

703.  
Teste B. V.  
& SS.

Sed audi & hujus de sua charitate in pios manes alterum, & sanè luculentum testimonium. Ego, ait, *sum mater omnium, qui sunt in Purgatorio, quia omnes pænæ, quæ debentur purgandis pro peccatis suis in qualibet horâ, per preces meas quodammodo mitigantur.* Audi rursum ipsam apud Carthusianum l. 3. de laudibus Virginis ita loquentem: *Qui in Purgatorio sunt, gaudent nomine meo audito, quemadmodum æger iacens in lecto, cum audit verbum solatii.* Eandem audi lib. 8. Revel. c. 10. S. Birgittæ hoc de se testantem. *Nulla est pænâ in Purgatorio, quæ propter me non remissior erit, & lenior ad ferendam, quam aliter esset.*

Audisti ipsam Virginem, audisti perennem ejus in vitâ functos, & efficacissimam misericordiam. Quare ne mireris mellifluum, & Marianum Doctorem sic illam affantem Serm. 4. de Assumpt. *Quis ergo misericordiâ tuâ, O Benedicta, longitudinem, & latitudinem, & sublimitatem, & profundum queat investigare? Nam longitudo eius usque in diem novissimum invocantibus eam, subvenit universis: latitudo eius replet orbem terrarum, ut tuâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius superna civitatis invenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris, & in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletur, infernus evacuatus est, instaurata ruina Jerusalem cælestis, expectantibus miseris vita perditâ data.* Hæc Bernardus, in quibus per inferni vocabulum haud dubiè lustralis carcer accipiendus est, cum tartareus nequeat evacuati.

704.  
Teste S.  
Bernardo.

Bernardo alter Virginis egregius præco, Gerson addendus est, qui Serm. 1. de defunctis sic Divam alloquitur: *Postquam ergo ita est, quod sancta, & salubris cogitatio, ut pro mortuis fiat oratio, & Virgo, & Mater es dignissima, es & sancta sanctorum, in qua sunt cogitationes sanctæ, & salutare ultra omnes alios homines, congruit te pro mortuis exorare.* Ita Gerson, qui plus innuit, quàm exprimat. Nam si congruit Immaculatæ Mariæ, ergo necessarium est. Qui enim præterire posset, quod sibi congruit, quam Sanctam sanctorum verissimè nominavit, & sanctissimarum plenam cogitationum? Denique Bernardinus Serm. 3. de nomine Mariæ art. 2. c. 3. disertissime, & uberrimè, *Beata virgo, inquit, in regno Purgatorii dominium tenet, propterea inquit Ecclesiastici 24. & in fluctibus maris ambulavi. Pænâ siquidem Purgatorii idèd dicitur fluctus, quia transitoria est, sed additur, maris, quia nimium est amara: ab his tormentis liberat B. Virgo, maximè devotos suos, & hoc est, quod ait, Et in fluctibus ambulavi, scilicet visitans, & subveniens necessitatibus & tormentis devotorum suorum: imò, & omnium, qui ibi existunt: qui filii eius sunt, cum sint filii gratiæ.* Ita ipse: qui enim Purgatorium mare vocat, pariter innuit illam esse illius stellam, & ad felicitatis portum benigna luce miseros illos nautas conducere.

706.

Porro licet hoc genus benevolentiae Marianæ illustribus exemplis confirmare. Petrus Damiani l. 3. Epist. 10. scribit mulierem quamdam Romanam amicæ suæ per visum oblatam, illi confirmasse sese ab Immaculatâ Virgine Purgatorio ereptam

Teste SS.

festa luce Assumptionis illius, idque cum  
 aliis tanto numero, ut Romæ incolarum  
 tunc temporis numerum excederet, in cu-  
 jus nunci certum testimonium amicæ illi  
 suæ mortem prædixit, in exitu istius anni  
 obeundam. Quod & contigit, cum hæc  
 sese ritu Christiano ad mortem comparaf-  
 set. Similis ejusdem Virginis favor legi-  
 tur c. 10. vitæ B. Veronicæ de Binalco, hisce  
 verbis. *Hæc die*, nempe Marianæ Assump-  
 tionis, Ubi primùm Veronica Sacramen-  
 tum Eucharistiæ desumpsit, mox inter Mis-  
 sarum solemniam abiit mens ejus, in Purga-  
 torii fines concedens. Inspexit autem di-  
 vini cujusdam aspectus virum, miraque  
 pulchritudinis veste contextum, cujus no-  
 men Veronica nunquam scivit, quem An-  
 gelorum ingens numerus sequebatur. In-  
 gressa itaque est ea multitudo, cui mixta  
 erat Veronica, Purgatorii sedes. Tum co-  
 ram viro tot animæ adductæ fuerunt, quot  
 non capit homines urbis Mediolanensis  
 media pars; singulas verò, singuli Angeli  
 captarunt, & eas, quas apud mortales cu-  
 stodiere. Videbantur quidem animæ in-  
 cendio rubricatæ, cum ignem exhibant  
 Purgatorium, quæ mox ignibus erutæ ni-  
 ve candidiores efficiebantur. Coronatæ  
 itaque viridifronde ante thronum Dei im-  
 mortalis ab Angelis statuuntur; at animæ  
 coronas ante sedem Dei posuerunt, quas  
 idem Deus immortalis fereno vultu, pla-  
 cidis & blandis oculis benedicens beatif-  
 icatæ Mariæ offerrebat. Hæc ubi vidit, ad  
 corpus Veronicæ mens regreditur, tantis  
 affecta gaudiis, ut carne vivere diu se non  
 posse arbitraretur; Afferuit Veronica plu-  
 rima se conspexisse ea celebritate Assump-  
 tionis, gaudiis vehementissimis per singu-  
 los raptus affecta, verùm jucundissimus  
 fuit, cum è Purgatorio erui animas atten-  
 dit. Hactenus author ille.

707.  
 Item die  
 nativitatis  
 Christi, ac  
 resurrecti-  
 onis.

Et colligi potest ex Dionysio Richelio,  
 quem Carthusianum vocant, ex eo quòd  
 professus est, instituto, eandem Ecclesiæ  
 patientis æque ac militantis, Triumphan-  
 tisque Reginam aliis quoque diebus jus il-  
 lud suum perquam favorabile exercere. Sic  
 enim ille refert Serm. 2. de Assump. Ma-  
 riæ. Duo Socii erant, quorum unus circa  
 festum Sanctorum omnium defunctus est;  
 Alius verò continuus se fletibus affligens,  
 nihil pro defuncto omisit. Cui post fe-  
 stum Nativitatis Christi defunctus appa-  
 ruit, dicens, nihil mihi profecisti, & quasi  
 impropere ei fletum. Ecce, ait, Beatif-  
 sima Virgo Maria singulis annis in festo  
 Nativitatis Christi ad Purgatorii loca des-  
 cendit, & multas inde animas eripit. Quo-  
 niam in nocte solennitatis illius Regem

gloriæ peperit. Cumque in proximâ Na-  
 tivitatis Christi solemnitate descenderet,  
 & multas eriperet animas, sperabam quòd  
 precibus tuis fuisset me etiam reductura,  
 sed non fecit. Verùm quia proxima no-  
 cte Resurrectionis Dominicæ solet descen-  
 dere ad Purgatorium pro reductione ani-  
 marum, eo quòd Christus nocte illâ Sanctos  
 de Limbo reduxit, quæso, ne cesses pro me  
 cum lacrymis orare, ut me nocte illa dig-  
 netur eripere. Hactenus Carthusianus.  
 Ubi quòd dicitur de descensu B. Virginis in  
 Purgatorium intellige juxta hoc Pauli V.  
 decretum in gratiam Carmelitarum datum  
 Anno 1613. *Itaque imagines quæ à devotis  
 de hac solent fieri vel depingi cum descen-  
 sione B. Virginis ad animas in Purgatorio  
 liberandas, minimè fiant, sed per intercessio-  
 nem sanctæ Virginis à tanto periculo per  
 manus Angelorum in tuto collocari: ubi  
 Pontifex significat Reginam cæli non per  
 seipsam sed per Angelos ministros animas  
 è purgantibus flammis educere.*

Hæc igitur tempora Nativitatis, ac Re-  
 surrectionis Dominicæ, itemque Virgineæ  
 Assumptionis, quædam sunt tempora Ma-  
 riani Jubilæi, neque tamen aliàs piis ma-  
 nibus deesse potest, cum superius apud  
 Blosium dixerit, se qualibet horâ iis auxi-  
 liari. Quare arbitrariis quidem celebri-  
 bus temporibus legatione sua solari nec-  
 sarios, & ex illis complures educere, aliàs  
 autem non solere legatione suâ, sed sal-  
 tem auxilio eisdem adesse. Quod verò ait  
 ipsa de se *qualibet horâ* omnes pœnas mi-  
 tigare, id intellige de quolibet temporis  
 momento. Cur ita? Primùm, quia, cum  
 sit misericordiæ etiam increatæ Mater,  
 non minus quàm filius, *semper interpellat*,  
 pro hominibus tam mortuis, quàm vivis,  
 cum quolibet momento mortui gravissi-  
 mas patiantur pœnas, neque possit miseri-  
 cordiæ Mater tam miseros magis oblivisci,  
 quàm seipsam. Deinde quia quolibet tem-  
 poris momento ab aliquibus saltem Eccle-  
 siæ nomine oratur Deipara: interdum  
 enim, noctuque Ecclesiæ preces ad Chri-  
 stum quidem præcipuè, & ferè omnes, ta-  
 men & ad Immaculatam Mariam, aliosque  
 Cœlites referuntur, saltem, ut aiunt, im-  
 plicitè, ac virtualiter. Quia cum Ecclesia  
 cupiat preces suas exaudiri, & tot in cælo  
 Oratores habeat quot cœli incolas, sanè  
 cupit eos precibus suis, pondus, quòd  
 queunt, addere, ac maximè Deiparam,  
 quam novit plurimum apud Deum posse.  
 Si autem cupit eam pro se supplicare sem-  
 per: ergo illa semper supplicat: & quidem  
 pro omnibus fidelibus, ac proinde etiam  
 pro mortuis.

709.  
Et omni-  
bus.

Accedit quod nominatim Deum frequenter precetur Ecclesia, ut Virginis causâ ac meritis salutem fideles omnes consequantur, ergo petit, ut ejusdem ope omnia salutis impedimentâ ab omnibus removeantur, inter quæ pœnæ Purgatorii jure recensentur. Præterea quolibet momento sunt in Purgatorio nonnulli olim D. Virgini devoti, quis ambigat eam omni momento ab iis orari, & aliquid solatii referre? neque ab iis tantum, sed à vivis eorum amicis, aut amicis D. Virginis, & pariter ab aliis Sanctis, & maximè ab Angelis Custodibus? Si autem oretur, ergo & ipsa orare non desinit: ergo omnes alii manes inde solatium accipiunt, ut superius probavimus. Denique ut prius argumentabatur S. Bernardinus, omnes pii manes, cum sint gratiæ ac misericordiæ filii, ergo & Mariæ; quare numquid oblivisci potest Mater filii uteri sui; numquid Maria eos aliquando derelinquere, quos sub cruce utero concepit, quando de eorum unoquoque Christus ei dixit, *Ecce filius tuus*? Ego verò existimo tantam esse Redemptoris in suos benignitatem, ut quoties quis in gratiâ moritur, Christus iteret hæc Matri suæ, *Ecce filius tuus*, eamque aio rursus mortuum accipere in suum, neque deinceps aliter, quam mater solet filium accipere, atque adjuvare.

710.  
Vel palam  
vel quasi  
occulte.

Cæterum non per se ipsam dumtaxat, sed & per devotos sibi, ac familiares mortales eadem Immaculata Maria id officii præstare solita est. Sic oranti ante imaginem Conceptæ sine maculâ Virginis Joanni Ximenio è Societate Jesu Laico raræ admodum virtutis, clarâ voce Diva, *Ximeni*, ait, *memor esto purgandarum animarum. Qua ille voce permotus, reliqua vitæ omnia* (vixit autem dehinc annis octo) *opera satisfactiois potentia piis manibus transcripsit.* Ita Pater de Ponte vitæ Baltharis Alvarez cap. 45. Denique confirmantur, illustranturque hæc omnia hoc illustri exemplo. Hieronymus Carvallius Soc. Jesu, regiam Virgini servitutum diu servivit, homo si quis alius ejusdem amans ac diligens. Nihil ille ommittere, quod Virgini acceptum esse intelligeret, constantissimè satagebat. Sed alacrem suo impetu quæcumque ad pietatis officia animum, insitus pœnarum, arcanique, atque peccatorum reliquias excoquentis ignis timor ingens, mœstum subinde, atque sollicitum habebat, quod cum miris modis exhorresceret. Remedium fuit eadem in Virginem pietas, quæ suæ non immemor pietatis, hominem ad spem, alacritatemque erexit, fide datâ, se tum illi affuturam, sibi

eorum animorum propriam esse procuracionem, cui enim justius credi potuit, quam quæ nihil habuit purgandum? Ita narrat noster Joannes Rho exempl. 1. 3. c. 3. n. 24. *Quamobrem in tam sedulâ procuratrice, tamque potenti defunctorum advocatâ, quid illi devoti fatiùs imitentur, quam id, quo maximè ipsa gloriatur, officium misericordiæ? Præsertim cum & ipsi subsidium singulare in tempus illud ab ea sperare possint, vel eo nomine, quod carissimum illi misericordiæ genus fuerint æmulati.*

### ARTICULUS III.

*Angelorum officia in pios manes ad idem munus nos provocant.*

PARS PRIMA.

*Proponuntur.*

**R**EGINAM Angelorum sequuntur <sup>711.</sup> Angeli, non obsequio dumtaxat, sed <sup>Munus custodia angelos ad le-</sup> & imitatione charitatis in defunctos. Et <sup>vamen defunctorum obligat.</sup> multa sunt, quæ ad frequentandâ illius officia eos invitent. Enimverò omnes sunt <sup>missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.</sup> *administratores spiritus, in ministerium* Igitur tamdiu illis adsunt auxilio, consilio, solatio, dum illam adeant hereditatem. Nec enim decet fideles ab iis deserti, quando à cælo propè absunt, cum ab ipso in vitam ingressu continenter deinceps eos comitentur. Nam licet ad terminum viæ ac vitæ mortalis pii manes pervenerint: tamen Angelorum curâ adhuc, & vehementer egent, ut carcere lustrali eripiantur. Quare necdum Angeli ad terminum custodiæ pervenerunt, neque commissum sibi munus explese sunt censendi. Quemadmodum enim ille ductoris munere non esset perfunctus, qui iussus Regis filiam in Germaniam deducere ad nuptias cum Imperatore, atque in viâ custodire ab hostibus, illam in extremo itinere ab iis captam desereret, licet nosset post aliquod temporis spatium sponte reddendam: quemadmodum suâ interesse crederet curare, ut primo quoque tempore exilio ac carcere soluta nuptum iret: sic Angeli Custodes partibus suis desissent, si animas Christi Sponsas in itinere cælesti captas, atque ergastulo flammeo detentas, quam possent ocysimè, non eximerent, atque

atque ad nuptias Agni non adducerent.

712.  
Et insit a  
caritas.

Sed quamquam ad id officii nulla Genios illos humanissimos ratio obstringeret, charitas certè impelleret, sive quia pias animas ut sorores adamant, quippe eodem Patre in vitam etiam gratiæ editas; sive quia ut Christi Sponsas cœlique principes venerantur, sive quia sempiterno, beatissimoque earum consortio sciunt se fruturos. Nam si viri Religiosi captum in viâ, dum tyrocinium petit, Instituti sui candidatum recipere studerent: Si S. Thomam Aquinatem à fratribus interceptum, vestibusque sacris exutum, ac castro inclusum sibi restitui curarunt Patres Dominicani, etiam interpositâ Summi Pontificis autoritate; incredulè Angelos humanitate ac benevolentia illis cedere, & ita cedere, ut æternæ vitæ socias, ejusdemque felicitatis confortes animas, ac sempiternas Numinis concentricas, vestibus gloriæ exutas, neque castro, sed igneo carcere inclusas, suo auxilio solatioque destitutas abjiciant? non est ille genius horum nobilissimorum Geniorum. Quin imò si per Numinis justitiam ac providentiam liceret, volentes, lubentes earum culpas suppliciis suis castigarent, atque suo incendio redimerent incendium. Et ratio est obvia, quoniam pro eâ portione, qua Deum amant, amant illas animas, utpote Deo charissimas; quare si inveniantur in mortalibus, qui Dei, & animarum causâ id præstarent, nemo dubitare potest quin multò propensius idem ipsum Angelum exequerentur. Quod si quædam aquila apud Seston urbem à Virgine educata, primum aves, mox venatus aggerendo gratiam illi retulit: cum verò hæc vitâ defuncta esset, in rogam ardentis, nescio quo amore capta, iniecit sese, simulque conflagravit: ego quidem non ambigo, quin amantissimi illi genii, qui dum bene nobis fecere, beneficium se affectos arbitrantur, libenter causâ nostrâ conflagrarent, si vel sic Purgatorii supplicii partem possent persolvere.

713.

Cur misse  
de Angelis  
2. feria.

Cæterum ex hoc Angelorum in pios manes amore fluxit mos præscus feriâ secundâ, qua defunctorum memoria agi solet, etiam Angelorum memoriam in Ecclesiâ celebrandi. Cujus causam reddens Petrus Damiani lib. 2. Epist. 14. sic habet: *Anima defunctorum diebus Dominicis requiescunt, atque à suppliciis feriantur; Secundâ verò feriâ ad ea, quibus assignata sunt, penarum ergastula revertuntur. Idcirco isto potissimum die Angelis Missarum honor impenditur, ut & mortuis, & mortuis patrocinialis eorum defensio procuratur. Ubi, quod ait de quiete piorum ma-*

nium diebus Dominicis pium illud quidem, sed commentum est. Neque verò illi id sibi favori ac gratiæ ducerent, quippe qui pervelint brevi debitas culpis suis pœnas perpeti, ut quantocyus Deo perfruantur.

Itaque redeo ad Angelos, qui custodia sua munere tota vitâ nostra optimè perfuncti, statim atque animam egimus, de victoriâ nostra ipsorum ope parta velut triumphant. Vidit hoc quondam B. Veronica de Binasco, de qua hæc vitæ illius author c. 14. *Morienti Seraphina interfuit Veronica intuens corporeis oculis sæva bella hostis antiqui, quibus animam exhalantem vexabat. Angelus siquidem lucis adstabat præsto decedenti affuturus. Obiciebat è regione demon Seraphina gravia quæpiam, nedum verba levia, silentii non observationem, ac ea quæ mortales nullius momenti arbitrantur, memorabat verò eadem improperans: At lucis Angelus confessam fuisse omnia Seraphinam respondebat. Tum impius satban alia in medium deducebat, qui confessionis accepto responso confusus abibat. Seraphinâ itaque ultimum dante spiritum, Angelum Domini lætantem apprimè Veronica conspexit. Quamobrem animam Seraphinâ æterna damnationi minimè addictam intellexit. Quod iidem sequenti nocte cœlestia regna perlustrans certius dignovit: Domino significante ignibus Purgatorii Seraphina spiritum alligatum. Ita Ilidorus de Iolanis Ordinis Prædicatorum apud Bollandum Jan. 13.*

714.  
Gaudent  
felicis su-  
tum morte.

Porro migrantem è corpore, velut è domicilio animam excipiunt Angeli. Id quod considerans Sancta Mater Ecclesia occursum illi Angelicum precatur: modò sermone ad filios converso, his verbis: *Egredienti itaque anima tuâ de corpore, splendidus Angelorum chorus occurrat: modò ad ipsos Genios; Occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius: offerentes eam in conspectu Altissimi.* Et evenit, ut eo ipso tempore, quo à fratribus Religiosis S. Dominico morienti adstantibus ad ea perventum erat, *Subvenite Sancti, Occurrite Angeli;* Divus ille sanctissimam animam in sinum eorum ac complexum effuderit. Cæterum & id officii aliis minoris notæ, ac sanctimoniam exhiberi, patet ex historia cujusdam à morte suscitati ope D. Virginis, quem sic loquutum scribit Petrus Damiani lib. 2. Epist. 14. *Egredienti mihi de corpore duo protinus Angeli splendida claritatis occurrunt, qui me secum ducere in superiora ceperunt. Sed ecce me migrantem demonum turmæ, velut phalanges* *Athiopum,*

715.  
Migranti  
anima oc-  
currunt.

*Aethiopum, undique circumfundunt, me tamquam sui iuris hominem acri nimis, & importuna vehementer exactione repossunt.* Tum pergit dæmonum litem, ac Geniorum defensionem describere, qui tandem Virginis Immaculatæ præsidio fulti, victores evasere, eumque vitæ ad emendationem reddidere, alioqui æterno supplicio cruciandum.

716.  
Adfunt ju-  
dicanda.

Sed pergamus: susceptam enim sinu, ac complexu suo animam, Angeli ad tribunal Judicis devehunt, vel potius, quia iudicium in ipso morientis loco peragitur, adfunt iudicanda. Ita extat in Revel. S. Birgitæ lib. 4. cap. 7. 8. & 9. visio mirabilis, qua Divæ illi objecta est anima iudicanda, accusante dæmone, Angelo defendente. In eâ cælum per palatium, Christus per solem, Virgo per mulierem, Angelus per militem designatur. Qui quidem Angelus militis specie videndum se præbuit, ut appareret eum revera tum temporis militem strenuum agere, fortiterque contra duces illum superbix militare, Id quod variis exemplis confirmare liceret. Sed audiamus Catenam Græcam, quæ altercationem S. Michaëlis cum diabolo de Moyfis corpore, figuram facit hujus litis de animâ obtinendâ. Sic ergo illa in Deuter. 34: *Ex Michaëlis congressione cum dæmone palam Deus facere voluit, quantopere conetur hostis humani generis, ne anima à corpore hoc egredientes cursu suo ad superiora contendant, contra quem tempestivè Angeli Domini occurrentes in fœcis orci eripiunt.* Ita Catenam.

717.  
Cum Mi-  
chaele Ar-  
changelo.

Præterea S. Michaelis Ecclesiæ Catholicæ patronum tunc præsertim patrocinari, & cuique iudicandæ animæ adesse, communis est Ecclesiæ sensus. Et vide benevolentiam illius Archangeli velut imaginem sanè jucundam. Incessit aliquando senem quemdam monachum cupido videndi improbi, & probi hominis varios è vitâ exitus. Annuentibus superis, dat se in iter urbem versus, cujus in adjacente agro Cœnobium animadvertit, auditque animam illic agere virum opinione sanctitatis celebrem, post vitam in eremo peractam: Et ecce, mirum dictu! dum morienti adstat dæmonem conspicatur, tamquam ex orco procedentem cum igneo tridente, quem audit, nescio unde, juberi animam illius extrahere, & secum avehere. His visis utbi sit propior, & ecce iterum, mirum dictu! pauperem, ac peregrinum, hominem ab omnibus derelictum in extremis vitæ angustiis, jam jamque animam exhalantem videt. Tum verò comparuere Divi Michaël, & Gabriel, alter ad dexteram,

alter ad ægri sinistram, animam invitantes ad felicem exitum. Cunctante illâ, vox audita ejusmodi: mitto Davidem cum citharâ, cælestibusque choraulis, ut musicâ sua hanc animam corpore pellectam in cælum deducant. Egressa igitur anima in manus S. Michaëlis Archangeli sese tradidit, qui eam comitante concinenteque illâ musicorum coronâ in cœli regiam induxit. Invitis Patrum de exempl. & doctrin. n. 17.

Sed è celo in Purgatorium veniendum est. Huc enim pleraque animas cœlo necdum idoneas, deducunt genii. Docet id Angelicus Doctor in 4. distinct. 21. q. 1. a. 1. & cum eo plerique omnes. Et Suarius quidem comitatum illum non modo solatio, sed etiam honori animarum tribuit, & ratio ex superius dictis de Custodum, ac Ducum munere satis colligitur. Colligitur item ex visio S. Vincentii Ferrerii cui soror ab obitu videndam se præbens, precesque postulans, dixit se ab Angelo adversus dæmonem propugnatam, ac veniam donatam, in eum, ubi tunc apparebat, locum ab eodem Angelo deferri iustam, scelerum poenas ad diem usque iudicii decretorii istuc luituram, nisi Ferrerius precibus, ac Missis spatium illud contraheret, quod & fecit. Colligitur præterea ex historiâ Petri Damiani supra allatâ, & ex aliis, ubi Angeli animas à morte suscipiunt, utique ad locum sibi destinatum deducendas.

Non est autem dubium, quin easdem in Purgatorio crebrius solentur. Enimvero solabantur olim Patres in Limbo, ut inquit S. Cyrillus in illud Joannis c. 8. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est.* Sic enim ipse: *Abraham vidit diem Domini, quando iam in placidâ Sanctorum Patrum requie positus cognovit filium Dei esse incarnatum: erat enim ille dies Domini, quo carnis nostra substantiam pro nobis assumpsit. Et id quidem cognovit Abraham completum esse per iustificationem iusti Simeonis, qui post Dominum susceptum in ulnas requievit in pace, & intimavit SS. Patribus eum natum: aut per denuntiationem Angelorum Sanctos Patres visitantium sapius, & quæ consolationem eis afferrent, spemque propinquæ liberationis præstarent benigne significantium.* Hæc Cyrillus. Quæ, si vera sunt, ut sunt, conficitur Angelos etiam Purgatorium sæpius invisere, ac ibi solari animas, cum hæc solatio magis quàm Sancti Patres indigeant. Et verò Carthusianus, dum exponit hunc Apocalypseos locum, c. 5. *Et omnem creaturam, quæ in cælo, & super*

718.  
Deducunt  
in Purga-  
torium.

719.  
Vbi eam  
solantur.

super terram, & sub terra, & qua sunt in mari, & qua in eo, omnes audiui dicentes, sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum, sic habet: Per eos qui sub terra sunt potius designari videntur defuncti salvandi, qui in locis Purgatorii sunt, vel Angeli boni, qui ad eorum consolationem descendunt. Quin etiam Bernardinus Serm. 65. hic accommodat illud Judicum 2. Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium. Nam locus flentium, inquit, Purgatorium dici potest, ad quem ascendunt Angeli sancti, ut consolentur eos, & hac potissima consolatio, quam habent purgandi. Ita ipse.

720. Illustratur hac.

Denique huc quoque potest allici illud Isaia cap. 18. Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diriperunt flumina terram eius. Et si enim per Angelos illos prius dixerimus mortales piorum manium patronos intelligi, tamen ipsolmet naturam Angelos, magis genuine accipere licet, & dicere, eos à Christo animarum Sponso, mitti ad solatium, auxiliumque gentis illius convulsæ, ac dilaceratæ ingentibus tormentis; vel convulsæ, quia per vim summam divulgata à Deo, summo bono, atque optatissimo earum fine, ac propterea dilacerata, cum votis, atque animo Deo adhæreant, & tamen ab eo separentur. Neque mirare, si populus terribilis nominetur, propterea quod nullamquam gens tanto terrore alius fuit, quantum nobis parere debet, paritque accuratè contemplantibus unica anima flammis undique cincta, præsertim cum idem supplicii nobis ob noxas subeundum esse perpendimus. Certè quidem unica plus terrore incuteret, si sub visum, ut est, caderet, quid si totus carcer Purgatorius? nec vacat mysterio, quod gens expectans dicitur, non tantum, quia revera visionem Dei vehementer desiderat, & expectat, sed etiam quòd Hebraice sonet gentem lineam. Unde Vatablus, Forerius, Pagninus, legunt, ad gentem lineam, lineam, id est ad gentem, cui quasi ad lineam, quasi ad amissim pronoxis ad mensa est à Deo Judice poena, & propterea gens conculcata vocatur, ut quæ peccatis præcepta Dei quondam proculcavit, proculcetur ipsa; prosternaturque in purgante ergastulo, quod ergastulum terra defunctorum vocatur, nempe à terrendo, quia diuturnitate supplicii velut atterit miseris, & insuper ab ipsis teritur, ac frequentatur. Terram autem illam flumina diriperunt, quia dira flammæ ex sul-

phure. & bitumine colliquato, ac fluentè totum Purgatorii locum inundantes devorant. Adhanc igitur gentem adeo arduosam Angeli veloces eunt, id est ad pios manes juvandos, solandosque celeriter, ac frequenter convolant.

PARS SECUNDA.

Eius Angelica cura exempla.

**A**TQUE idgenus consolationis Christus D. Virgini apud Birgittam lib. 6. c. 21. pro aliquo è suis amicis pollicetur hifce verbis: Consolabuntur eum Angeli sancti: & præbuisse constat ex historiis: sic enim de S. Liduina narrat Surius: conspexit etiam puteum quemdam, & ei insidentem Angelum facie mœstum, quem ubi cognovit Custodem esse Sacerdotis pro quo oraverat, & causas mœroris ex certis ejus demeritis percepit; mox ab Angelo docta est speciali illic eum Purgatorio castigari, statimque apertus est puteus, & erupit inde flamma aterrima, atque fumosa, simulque ejulatus altissimus. Interroganti Angelo, an vocem illam nosset, respondit Liduina se probe illam cognitam habere. Confestim autem ascendit anima illa specie ferri ignitissimi, voce confusam dicens, O Charissima Liduina, o speculum purissimum, quis mihi det, ut quandoque Dominum in te, & te in Domino contemplari queam! Ita Surius. Et post pauca, Paucis, ait, post diebus, Angelum illum, quem mœrentem conspexerat, jucundum, & hilarem vidit, tandemque anima illa ad communem expiationis locum translata est, ad juraque poenis, quas Virgo sanctissima ex amore patiebatur, ad cœlos evolavit. Audisti Angelum in Purgatorio mœstum hæere calamitate clientis, & postmodum hilarem ejus levamento? ne quæso arbitrere frustra, & otiosè istic commorari; sed ad ejusdem solatium.

721. Patet id ex promisso Christi, virgine S. Liduina.

Cujus certo argumento est, quod in vita non vulgaris virtute femina Catharina Riffæ Ordinis S. Dominici legitur. Illa in quadam ecstasi divinâ è paradiso, quò rapta fuerat, mente descendit in Limbum, Purgatorium, ac tartarum. In Limbo ingentem vim puerorum conspexit tam veteris, quam novi testamenti propter originalem culpam Dei visione carentium, & ingenti grati animi sensu, quòd culpam illam divino beneficio baptismate eluisset, affecta est. Inde in orcum delapsa ne modicum quidem miserationis sensit, quòd ejus incolex misericordiâ Numinis repudiata, justitiæ sese ultrò subjecissent. Tum verò purgantem

722. Et ex v. Catharine Riffæ viso.

gantem carcerem ingreſſa , quo etiam per ſingulas noctes Dominicis diebus prævias deſcendebat , vidit Tutelares Angelos , quemque animarum ſibi commiſſarum ærumnoſum ſtatum indicantem , ac levamen commendantem . Id quod eam ad voluntarias , nec mediocres pœnas pro iis ſolvendas velut obſtringebat : Hæc Joannes à Sanctâ Mariâ in ejus actis . Ex quibus ſic argumentari licet : Si Angeli animas clientes aliis in Purgatorio commendent ad ſolacium , auxiliumque , igitur ſolacium illis ſuum deeſſe non patiuntur . Joan à S. Maria in vita .

723.  
Sed magis  
ex aliis S.  
Liduína  
viſis.

Sed ad Liduína vitam revertamur : Illic enim illuſtiora ejus generis exempla ſumus contemplaturi . De illa iterum ita Surius vita : 3. parte . cap. 2. Nocturno tempore rapta in ſpiritu ad loca pœnarum , videbat non abſque ſummâ commiſeratione torqueri animas , & ingentes ignium globos in ſublime efferri : roganti autem quandoque Angelo , num animam , quam digito monſtrabat juvare vellet , ſe perquam velle reſpondit ; Tum Angelus , Oportet igitur , inquit , per medias tranſire flammas . Ego verò , ait , libens id faciam . Tranſiens igitur per flammas vidit illic tortores ſeſe contrahentes , indignæque ferentes humanitatem ejus , quâ cupiebat ſubvenire animabus . Cumque jam pertranſiſſet , vidit animam ab Angelo indicatam è pœnis eripi , & poſtea exultantem ad cœlum proficiſci . Rogavit eam quædam , ut pro patre ſuo recens deſuncto oraret . Ducta eſt autem in ſpiritu ad regionem illam , ubi ejus anima cruciabat , aitque illi Angelus ; hic eſt ille vir , pro quo te deprecaturam ſpondiſti . ut autem vidit illam vir ille , ait ad ſocios , Ab eo tempore quo purgandus hunc intravi locum , ſpiritum in carne degentem non vidi , niſi ſpiritum Virginis hujus . Sit benediçtus Deus qui miſericordiam ſuam mitificavit mihi in hac horâ . Paulo poſt orante , & patiente pro eo ſanctâ Virgine in corpore ſuo ; liberatus eſt , ſicut poſtmodum uxori ejus revelatum eſt .

724.  
Aliud e-  
juſdem  
viſum.

Vidit aliquando Liduína ſpiritum cujuſdam deſuncti ſpecialibus pœnis ex cruciari , ferreis ſtipitibus conſixum , audivitque ab Angelo ſuo eum eſſe fratrem illius feminæ , quæ ſi petiſſet , ut oraret pro eo , ſe quoque impetraturam , ſi quid piè pro eo peteret . Oravit igitur , ut ab illis ferreis ſtipitibus extraheretur . Illicò à pœnis illis ſpecialibus abſolutus , ductus eſt ad communem purgandorum locum . Sorore autem ejus importunè ſcire cupiente ex Liduína de ſtatu illius , tandem ea tetulit , quid

vidiſſet , juſſitque certas præſtari eleemoſynas , & in iis caponem , qui pauperibus ægrotis pararetur . fecit illa ut juſſa erat , & ecce nocte intempèſtâ aedeſt turba dæmonum , è quibus unus caponem manibus tenebat , ſimilem illi , qui fuerat datus pauperibus , quo graviffimè cecidit facies utriuſque , id eſt , & Liduína , & ſororis deſuncti illius , & hæc quidem poſtea in quodam incidit morbos propter fratrem ſuum , quos cum præ dolorum atrocitate ferre non poſſet , oravit Liduína pro ea , & quamprimum liberata eſt . Quod autem reliquum fuit pœnarum , in Liduínam tranſlatum eſt , ſicque tandem è pœnis erepta eſt anima illa . Interſerit deinde Surius pauca de ſola Liduína , quæ ob præſtantiam non videntur ſilenda .

Ob zelum animarum ſæpè cruentos ab oculis fudit imbres , dicebatque Domino , O ſi poſſem , Deus meus , carnem & ſanguinem meum dare pro animabus illis , quas tu caſtigas ! Pro his ergo orabat , vigilabat , ſuſpirabat , ſacrificia offerenda curabat , ſe totam in holocauſtum offerebat . In vita .

Balduinus quidam de Campo cum à corpore migraret , Liduína rapta in ſpiritu vidit hominem facie ipſi ignotum ſtare ad pedem montis , & volentem quidem aſcendere , ſed minimè valentem ; Audivit etiam dicentem ſibi , Miſerere mei Liduína , miſerere mei , & in montem hunc me deportato . Illa accipiens eum in humeros ſuos tulit in montem . ſed difficulter ſanè ; Ait autem ad eum , Quis vocaris ? & ille , Balduinus à Campo inquit . Mane conſeſſarius Virginis venit ad eam , viditque , ceu labore gravi deſeſſam , & ægrè reſpirantem . Itaque ait ad eam : Ecquid habes filia ? cur præter morem tam difficulter reſpiras ? illa reſpondit , Ego Pater à monte venio , in quem Balduinum à Campo tranſtuli , ſudore pariter , & labore jam afflicta . Ille nomen viri jam ante crebrò audierat ; ſed virum ignorabat : Triduo poſt , neſcius eò venit ſacrificaturus ubi Balduinus deceſſerat , didicitque è templi Cuſtode eadem nocte eum obiſſe , qua Liduína apparuerat .

Sacerdos quidam carnis illecebris deditus ſtatueraſt corrigere mores ſuos : ſed morte præventus , etſi valde contritus , tamen pro peccatis , ita ut par erat . ſatisfacere non potuit . Orans autem pro eo Liduína , ducta eſt ab Angelo in eam regionem : audivitque vocem lugubrem ceu è puteo abyſſi , quam Angelus dixit eſſe Sacerdotis illius . Cumque miraretur eum duodecim annis tam horribili loco detentum , Angelus eam intuens , ait , Viſne pro ejus liberatione

» tione aliquid perpeti? volo, inquit, & qui-  
 » dem libenti animo. Mox ei ostendit An-  
 » gelus locum, ubi vorago quadam cerne-  
 » batur, & gurgis ater ac horribilis, tamquam  
 » torrentium multorum magno impetu ma-  
 » nantium. Hunc gurgitem, inquit idem,  
 » transmittas, oportet, si vis hanc liberare  
 » animam. Illa verò cum in aquas illas ter-  
 » ribilem edentes fonitum ingredi timeret,  
 » Angelus admonuit, ut infracto animo  
 » transiret. Itaque virtute induta cœlitus,  
 » & ardentissimâ charitate incensa, ingressâ  
 » est in tumultuantes undas illas, & summo  
 » labore eas superans victrix obtinuit quod  
 » opravit, viditque repentè Sacerdotis illius  
 » animam nive candidiorem è pœnis evo-  
 » lantem, ac deinde in nitidissimo se rivulo  
 » abludentem, & cum jubilo abeuntem in cœ-  
 » los. Illâ autem horâ Liduina ad se rever-  
 » sa tanto sudore madere reperta est à do-  
 » mesticis, ut nemo ambigeret, spiritu eam  
 » valde defatigatam alicunde revertisse:  
 Hæc de Liduinâ, deque ejus Angelo Su-  
 rii, quæ Angelicam in defunctos chari-  
 tatem abundè demonstrant.

728. Denique eadem charitas ex actis B. Jo-  
Pater idem  
ex actis B.  
Joannæ à  
Cruce. annæ à Cruce tertii ordinis S. Francisci  
 etiam comperta est. Etenim solebat illa  
 Sanctimonialia suas hortari ad contem-  
 plationem ærebram intolerabilium Purga-  
 torii tormentorum, pariterque ad singula-  
 rem in S. Michaëlem pietatis sensum.  
 Quippe quem in ecclasi vidisset de animis  
 in obitu decretoriam ferre sententiam, ex  
 quibus cum aliquam condemnaret, Angeli  
 concinentes. *O Deus Majestatis*, in-  
 quiebant, *quantâ cum misericordiâ con-  
 iuncta est iustitia tua: nos te in illis adora-  
 mus*. Tum verò animas damnatas diris  
 devovebant: At quando aliæ ex animis  
 Purgatorio carceri adjudicabantur, tum  
 Custodes eas excipientes, & ad carcerem  
 illum deducentes hac spe consolabantur,  
 quòd brevi beatas, ac cœli secum incolas  
 denuo essent visuri. Daen in vita.

729. Neque tamen eâ caritate contenti sunt  
Alios ad  
idem officium  
excitant Ange-  
li. optimi Genii; nam extra hujusmodi vi-  
 siones, & ecclales; omnes promiscuè ad  
 suppetias iis ferendas excitant, idque aut  
 sensibilem in modum, aut spiritualem. Ni-  
 mirum injectis menti, vel parentum, vel  
 amicorum, vel aliorum idoneis piorum  
 manium imaginibus, commotaque ad eor-  
 um commiserationem voluntate. De qui-  
 bus quoniam libro de Angelo Custode sa-  
 tis à me disputatum est, ad eum Lectorem  
 remitto. Tantum hic addo ad id genus  
 subsidii Angelici referendas esse subitas il-  
 las cogitationes de hoc, & isto mortuo;  
 subitas item expergefactiones nocturnas

cum recordatione alicujus recens defun-  
 cti, de cujus morte nihil alioqui audivimus:  
 & alia ejusdem generis. Ita cum Venera-  
 bilis Sanctimonialis Catharina de la Croix  
 ordinis S. Dominici Duaci quondam som-  
 num nocturnum caperet, excitavit eam  
 suus Custos, & clarâ voce significavit aliam  
 Sanctimonialem, quam nominabat, in  
 Cœnobio de la Thiculoye juxta Atreba-  
 tum, recens obiisse. Quare illa strato exi-  
 liens, diductis in crucis formam manibus,  
 quinies orationem Dominicam, Angeli-  
 camque Salutationem, ad illius solatium  
 pronuntiavit. Cuius mortis nuncius cum  
 postero mane Duacum pervenisset; intel-  
 lectum est eodem tempore, quo Catharina  
 Dominicana à Tutelari expergefata fue-  
 rat, animam exhalasse. Ita Joannes à S.  
 Maria in eius vitâ. Huc quoque pertinet,  
 quod memorat Noster Allegambe in Bi-  
 bliotheca Scriptorum Societatis, de Paulo  
 Josepho Arriagâ, rarissimâ virtute viro:  
*Hic enim inter cœtera pietatis insignia, no-  
 stris graviter decumbentibus semper advi-  
 gilabat per noctem, demortuos autem suis  
 manibus componebat, & piacularibus sus-  
 fragiis prosequabatur, idque iam providè,  
 ut quòd citius eo illius beneficio potirentur,  
 statim à nocte media lustricas preces exhibe-  
 beret, solitus ad id officii ab Angelo, si  
 forte altius obdormisset, excitari.*

Huc quoque referendum quod contigit  
 S. Monulpho Episcopo, cui prima debet  
 fundamenta civitas, inò & Episcopatus  
 Leodiensis: quippe qui ex ingentibus opi-  
 bus, quas à maioribus acceperat, Episco-  
 pio suo Dionantum urbem attribuerit.  
 Quam munificentiam à Deo compensa-  
 tam afferit Egidius Historicus, Principe  
 quodam è flammis Purgatorii liberato.  
 Ad eum terræ mandandum accersitus in  
 viam se dederat, cum fortè per umbrosam  
 lucum infelicitibus olim geniis impietate  
 gentilitia dicarum iter faciens, subito inter  
 opaca nemoris, & horrendas ferarum vo-  
 ces, pueruli gemitus & clamores audit  
 lacrymabiliter opem implorantis. sistit  
 ipse gradum, & pro Christianorum more  
 in repentinis casibus, efformaturus cru-  
 cem, dextram attollit; sed horror insolitus  
 omina percellit membra, manumque, ac  
 linguam ita constringit, ut nec vocem for-  
 mare posset, nec crucem. Comitum etiam  
 plerique in gradu consistere non poterant,  
 horrore attoniti, cum ecce pulcherrimus  
 juvenis Episcopo se videndum offert, mo-  
 netque posito metu in urbem se referat,  
 ubi cum Clero populique multitudine, to-  
 tum triduum precibus, ieiuniis, eleëm-  
 olynis, Deum demortuo Principi propiciet,  
 quem

730.  
 S. Monul-  
 pham.  
 Episc.

quem sepultum ibat : acerbissimis illum propter peccata cruciari suppliciis, cruciandumque diutius, nisi subveniret ipse. Exacto denique triduo captum iter repereret, & si eodem nemore quiera reperiret omnia, tum denique certum haberet, illius Principis animam cruciatibus ereptam esse. Unum è superis aliquem hæc nunciassse non dubitavit Monulphus, & reverrens in urbem, post tres dies Christianæ

pietatis officiis, ex Angeli præscripto transfactos, priorem viam relegit, & emensus est magnâ tranquillitate. Atque ita demum Principis corpus terrâ condidit, eò lætior quòd animam cælo receptam sciret. Quæ omnia quisquis expenderit, intelliget profectò, propensissimam Angelorum in pios manes voluntatem, & nobilissimos illos spiritus in tam pio sanctoque studio studebit imitari.

## CAPUT QUINTVM.

### *Ingens utilitas caritatis in Defunctos.*

#### ARTICULUS I.

#### *Gratie, gloriaque augmentum ex ea profectum.*

§. I.

#### *Munificentia Divina in misericordes expenditur.*

731.  
Misericor-  
dia Dei di-  
vina.



Hæc est postrema causarum, quibus ad opem piis manibus ferendam impelli nos oportet, utilitas ferentis. Quæ profectò tanta est, tamque multiplex, ut licet sola foret, mortales omnes ad id officii pertrahere deberet; agitur enim hic primùm de præmio illius charitatis divino, quod quia ab immenso Numine donandum est, non potest non esse summum: ut enim Reges regia, id est præcipua quædam liberalitas decet, ita & Deum longè excellentissima, ac divina.

732.  
Ostenditur  
ex Ecclesi-  
astico.

Audi igitur Siraciden c. 17. sic eleemosynam prædicantem. *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit, & postea resurget, & retribuet illi retributionem unicuique in caput ipsorum, & convertetur in inferiores partes terræ.* Ingens omnino præconium. Cur enim eleemosyna, seu misericordia, signaculum? Quia misericors hoc ipso, quo misericordiam exercet, donatur signaculo, seu sigillo Dei, ut scri-

bat quidquid in votis est, sigilloque eius scripta imprimat, & obsignet, nempe ut scriptis etiam in curiâ cæli propositis quod petit denegari non possit. Quare misericordia omnipotens dici potest, & sanè id invenitur apud Jobum c. 22. Ibi namque dicitur, *eris omnipotens contra hostes tuos*, Vatablus vertit: *aurum tuum eris omnipotens*, Caietanus autem, *Saddai eris in thesauros tuos*: id est, omnipotens, seu omnipotentia, utrumque enim notat nomen illud Dei, erit in thesauris liberaliter ex misericordia distributus, adè ut Deum ipsum ad quidvis impellere, & velut adigere queant. Sed pergamus, nam loco signaculi Syranus, & alii sacculum reponunt, voluntque misericordiam sacculum vocari. Cur quæso? An quia bursa est plena monetæ cælestis, ad coemendos cæli honores præcipuos? Cur iterum sacculus? An quia eadem misericordia fideliter custodit, quod pauperibus quidem gratis, at Christo scænorî datur, ut illo in die decretorii Judicii representato recipiatur centuplum? Sed quid illud, quod dicatur eleemosyna *gratiam hominis, quasi pupillam conservare*? opinor, quòd gratiam habitualement misericordiam quasi pupillam, id est, studiosissimè conservet, scilicet obtentis à Deo gratiis actualibus crebris, & efficacibus. Deinde si Deus misericordiam ut pupillam conservare dicatur, intellige conservare, ut rem charissimam, ac pretiosissimam; imò intellige conservare illam in mente sua, tamquam pupillam, per quam scilicet videat continenter hominem misericor-

miseriordem, illis approbationis oculis, de quibus Psalmista, *Oculi, inquit, Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Quid præterea illud? Et postea resurget, nimirum eleemosyna tua ac misericordia: an forsitan prius morietur, quæ tamen aliàs dicitur *permanere in æternum*? Planè si moriatur, non Deo, sed hominibus morietur, aut potius mori censebitur, iis nempe; quibus dum vita fuit, neque ex voto fuit, & est fortassè qui obiciat, quod Tobix ac Jobo sui amici, Ubi sunt eleemosynæ tuæ quas faciebas, quasi improperearetur emortuas esse: at Deo vivunt, & cum hominibus misericordibus velut resurgent, quando iis, quibus mortuæ videbantur spectantibus, retribuet ipsa misericordia, seu Deus ejus gratiâ, & velut ejus nomine, retributionem unicuique capiti pro meritis, atque ad eò amplam regni cœlestis possessionem. Satisne? minime verò. Sequitur enim, *Et convertes in interiores*, vel ut alii legunt *inferiores partes terræ*. Quid illic actura misericordia? nempe quod sibi proprium est, miseros subterranei carceris captivos levatura, & secum sursum evectura misericordes, quia decet filios olei, ac pietatis, cum Patre misericordiarum, & Deo totius consolationis, itemque cum Matre misericordix, non cum miseris commorari.

§ 2.

*Gloria summa, merces caritatis in Defunctos.*

733.  
Quia maior mercede misericordia corporalis.

QUOD si autem misericordix Christianæ tanta, tamque multiplex merces proposita est, quanta demum assignanda est illi, quam prædicamus, in pios manes charitati, satisfactionem vel omnem, vel maximam partem iis assignanti, aut certe opem non levem, quâ stipe, quâ precibus, quâ Synaxi generali, quâ sacrificiorum procuracione afferenti? Siquidem, ut jam ante diximus, hoc genus misericordix tale est, ut omne quod vocant, corporalis, longo intervallo superet. Quare cum pauperis famem levantibus Regnum cœleste reddendum sit in præmium: Cum etiam sitim sedantibus, præterea hospitio excipientibus, denique singulis sigillatim misericordix operibus idem mercedis promittatur (Sic enim Judex, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi māducare; sitivi, & dedistis mihi bibere, mitto reliqua*) Et cum totidem nominibus, aliisque longè

excellentiorebus cœlum Amatori piorum manium debitum sit, quàm beata, quàm ampla cum manet illius regni possessio! Vis nosse quid cæteris paribus arbitrandum sit? Confer cum pane corporali cœlestem ambrosiam; cum aquâ, Christi sanguinem, & nectar divinum; cum domo, atque hospitio terreno, cœli Regiam, & æterna tabernacula; cum visitatione captivi aut ægri, introitum in gaudium Domini, atque influxum Divinitatis in animam, ejusque bonorum omnium cum hac communicationem, nonne satis intelliges posterioris caritatis mercedem longè præcellere. Quamobrem vel eo solo nomine, mi Christiane Lector, *Misericordia ista, & veritas te nos deserant, circumda eas gutturi tuo, nempe ut torquem auream, & insigne cœlestis nobilitatis, & describe in tabulis cordis tui, & invenies gratiam coram Deo, & hominibus.* Prov. 3.

Sed nihil dum dixi. nam genus hoc charitatis in defunctos nonnullis rebus præstare insuper ostendimus misericordix spirituali. Si ergo Isaias Yates ita exclamat cap. 42. *Quàm pulchri sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Si Deus ita affirmet apud Jeremiam cap. 15. *Si converteris, convertiam te, & ante faciem meam stabis, & si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Si Danielis ore Deus ita vaticinetur. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.* Si Jacobus Epist. c. 5. sic moneat. *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore via sua, salvabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Si denique Clemente Alexandrino auctore l. 1. Stromatum, *prædicandi verbi Dei scientia est quodammodo Angelica: hæc omnia, pluraque præconia charitati in pios manes aleribi debent.* Enimverò & ipsi eorum Amatores pacem illis, & bona evangelizant, dum re ipsâ ostendunt veram, & æternam pacem brevi affuturam. Quàm igitur pulchri sunt eorum pedes Purgatorium animo adeuntium ac perlustrantium! quanta apud Deum gratia, quanta gloria! Deinde pretiosum à vili & ipsi separant, quia pretiosissimas animas à fordibus, ac pœdore ergastuli purgantis eximunt. Sunt igitur quasi os Dei, sive quia quod pro seipsis præsertim petent, Christus ratum habebit, tamquam si promisisset ipse, vel Patrem pro iis postulasset; sive quia eorum pro defunctis preces, tamquam ora-

734.  
Nec minor mercede spiritualis.

cula sunt eorum libertatis brevi donandæ. Et verò fulgebunt tamquam stellæ firmamenti de majoribus in æternitatem, quia plurimas animas lumine gloriæ, ac visione beatificâ impertierint. Quare & illud velut auctarium felicitatis illis accedet, ut eo charitatis genere, peccatorum, si quæ antea patratint, operiant multitudinem, quia ad tam fulgidi jubaris ortum, noxarum omnium tenebras discuti necesse est. Quis igitur ambigat, quin ea charitas, perinde ac prædicandi verbi Dei cura, Angelica possit nuncupari?

735. *Et præmii-um martyris equare potest.*  
 Quod quidem eò securius dico, quòd prius id quoque ostenderimus, charitatem hanc cum Martyrum charitate ac fortitudine comparandam esse. Hinc enim consequitur, & paratam huic in cælo gloriam Martyrum gloriæ non absimilem. Qui igitur dixit, *Quicumque confitebitur me coram hominibus, & filius hominis confitebitur eum coram Angelis Dei;* hic ipse filius hominis JESUS CHRISTUS Amatorem defunctorum in cælo coram Angelis, ac curiâ cælesti universâ confitebitur, id est, suum agnoscat, ac prædicabit, & singulari caritate complectetur, eximiaque mercede remunerabitur, quoniam & Amator ille filium hominis, Deum suum palam agnoverit, ac fuerit testatus publicis misericordiæ in pios manes exercitiis; nequidquam ingruente metu purgantium tormentorum, imò certus ea subire ipsius Christi causâ, ut ejus amicos ac filios imò & membra illis eriperet. Ac merces quidem ipsi reddenda triplex futura est. Nam primum quòd Amator noster, jacturæ temporalis visionis beatificæ, periculum subeat, ut animas in cælum ad divinas laudes præmittat, par est, ut eadem visione multo illustriori impertiatur. Deinde quòd flammis intolerandis animas populantibus, semet eadem gratiâ exposuerit, congruit, ut amoris beatifici optatissimo igne vehementius ardeat. Præterea quòd ingenti tristitiæ ex privatione summi boni sese obnoxium reddiderit, consentaneum est, ut gaudio beatifico plenius perfundatur.

736. *Gloria ejus particula-ri.*  
 Neque verò ignotum esse potest in Purgatorio, si quis illic hæreat, quod ex charitate suffragia, precesque aliis addixerit. Quare, vel ibi summa florebit gloria defunctorum Amator, & hæc ipsa gaudium illi pariet, ac solatium; minimè autem dubitandum est, quin uti Martyres laureola manet, ita nostros illustrissima quædam nota in cælo maneat, qua fulgeant ipsi, & ab aliis dignoscantur. Quid? quod perpetuus eorum triumphus nescio quid supra veros Martyres eximium sortietur, cum &

ipsi sibi tyranni fuerint, & Martyres, & captivos amoris tracturi sint plurimos, quos liberarint, & omnes illi in curram triumphalem iidem futuri, quippe assertores, suos semper in oculis, atque in medullis laturi.

Et hæc quidem omnis gloria non aliis quàm æternitas ipsa, finibus circumscribitur: hæc omnis laus, ac celebritas temporariæ satisfactionis donatione, & fortè brevi purgantium flammarum perpeffione, parabitur. Quanta igitur vel ex hoc capite utilitas hujus caritatis! Exploratum enim est gloriam etiam brevissimam, ac infimam, longè plus felicitatis in se habere, quàm lustrale supplicium, vel maximum & diuturnissimum, molestiæ & infelicitatis; cum gloria summi boni possessio sit: supplicium autem perpeffio mali finiti: quantulo igitur pretio, charitas hæc in defunctos emit gloriam summam, & sempiternam. Accedit quod æternitas vel bono vel malo ipsi, quod afficit, etsi finito pondus addat infinitum, nempe ex iterandis seu gaudii, seu tristitiæ actibus infinitis, cum omni fine careat. Denique hoc etiam facit ad præmii, de quo agitur, momentum, quod statim ab initio omnis illa ratio æternitatis cognoscatur, & gaudii diuturnitas propter fruendi securitatem quasi præcipiatur. Quare quod Chrysostomus aliàs à nobis laudatus, de eleëmofynâ pronuntiavit artem esse omnium quæstuosissimam, id de hac potissimum ratum est.

738. *Genus est contractus quæstuosissimi.*  
 Quamobrem si te mercatorem esse memineras, Christiane, en proponitur tibi parvò emendus census bonus, ac licitus, quo præter morem omnium, non tantum post tres, aut plures ab emptione menses, aut annuatim reddantur tibi quinque, sex, septem in centum, sed millies amplius sortetora, & bis millies, idque in perpetuum, sine ulla facultate census redimendi. Si cambium tibi placet, en ecce opportunitas optimi ac maximi ex eo contractu lucrî: mitte in Purgatorium ad aliquos è piis manibus litteras cambiales, quibus pretium satisfactionum tuarum illis addicas, Christo illic pendendum, & hic, & ipsi in cælo monetâ probâ ac regiâ solvent tibi ter quater, imò millies millecuplum, nec solutionem umquam desinent. Si denique feceratio magis arridet, hæc ipsa & quæstuosissima, & probatissima est, tradere satisfactiones defunctis, ut ex eò mutuo fanebre lucrum à Deo recipias immensum.

739. *Similis caritati viduæ Sareptanæ.*  
 Sin autem te instar viduæ Sareptanæ pauperem esse recordaris, nec habes nisi paucillum olei, quo ungaris, & pugillum farina, ex qua subcinericium panem conficias,

cias, en tibi non unus. Elias in promptu est; cui si panem prius quam tibi, ex farina illa confeceris, hæc dicit Dominus. *Hydria farina non deficit, & Lechytus olei non minuetur*, sed potius utraque crescent, eo scilicet augente, cujus gratia largieris. Denique da hisce Purgatorii pauperibus; ac mendicis nonnihil stipis; & certa est hæc Christi promissio, *Mensuram bonam, & conferiam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum tuum*, mensuram, Misericordiae tam corporalis, quam spiritualis operibus promissam, itemque Martyribus, aliisque generosissimis athleticis reddendam.

ARTICULUS II.

*Eadem in Defunctos charitas securiores de salute aeterna nos efficit.*

§. i.

*Misericordia in defunctos vim præcipuam habet impetrandi misericordiam.*

745. *Misericordia vim ex se habet misericordiam obri-*  
**C**ONSEQUITUR id ex proximè dictis. Nā virtus eā impetrandi, quæ ad salutem obtinendam conferunt, manat ex virtute merendi, atque adeò ex charitate, quæ vel sola, vel præcipua mater est meriti, ac gratiæ, & gloriæ, quippe quæ maximè nos Numini gratos atque amicos efficiat. Cùm igitur hæc, quam tractamus, sit excellentissima, perspectum est præcipua quadam impetrandi virtute polleat. Accedit quod caritas eadem; cùm adversus miseros se prodat, misericordiae nomen & vim quamdam illi propriam fortiatur. Est enim Deum inter, & misericordem pactum quoddam, quod contractum innominatum vocant, diciturque *do ut des, vel facio ut facias*: Id siquidem insitum est misericordiae, ut eum, cujus causâ exercetur, imò aliam quemvis, ad mutuam misericordiam excitet ac velut obliget; quanto igitur magis Deum, cujus proprium est misereri semper & parcere, propter innatam bonitatem? Quare qui piorum manium miseretur Numinis causâ, perinde facit, ac si illi dicat; misereor, ut mei misereatis, atque adeò, ut aeternam perniciem, ac calamitatem, cui expositus sum, à capite meo depellas, hæc enim maximè miseriæ nomen meretur, eamque maximè averlaris.

741. *Etiā ex divinapro-*  
 Deinde est alia, mutuaque, & ore divino expressa susceptaque Numinis obligatio. Enimverò nec paucis, nec obscuris locis vel misericordia, vel gratia, vel divina beneficia misericordie divinitus promittuntur. Et nemo ambiget summa hæc promitti homini in pios manes misericordie, quandoquidem ejus in illos misericordia multis ex capitibus sit summa. Etenim sat manifestum est mercedem divinam operum nostrorum excellentiæ adæquari. Et verò ipse Dominus apud Isaiam vatem c. 28. ubi sic habemus, *ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura*, ita loquitur apud Interpretes Septuaginta; *ponam misericordiam in stateris*. Quem locum exponens Basilius in Pl. 129. *Misericordibus*, ait, *misericordia pro mensura misericordiarum eorum*, Et Nazianzenus, *Nulli enim, inquit; rei misericordia magis rependitur, quam misericordia, ab eo, qui omnia iuste pensat, & rependit*. Quare si Salomone teste Proverb. 17. *Faveneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei*, sive, ut vertunt Septuaginta; *& secundum donum eius, retribuet ei*, vel ut Chaldaeus, *& retributio bona retribuetur ei*: quàm ampla, liberalisque erit merces misericordiae tam generosæ in pauperrimos defunctos? Si illius Patre auctore Pl. 32. *Beatus est, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die malâ, id est periculosa illâ, ac decretoriâ, liberabit eum Dominus*, quanto beatior Amator piorum manium, qui super pauperrimos illos intelligit, id est, pro eorum necessitate attentè, prudenterque consideratâ, iis de lytro sibi tam necessario benefacit? quanto idem securior erit de Numinis protectione? Si Isaiæ voce id promittitur misericordie. *Et eris quasi hortus irriguus, cuius non deficient aquæ*, nempe gratiarum actualium, quibus irrigatus animus fructus efferet dignos beatâ æternitate; an poterunt deficere homini in defunctos benigno, ac liberali; cùm earum gratiarum beneficio purgantes flammæ extinguat? Si denique auctore Augustino Homil. 29. inter 50. *Ante fores gehennæ stat misericordia, quæ neminem permittit in carcerem intrare; an permittet optatissima, opportunissimaque illa misericordia in defunctos?*

§ 2. Charitate

## § 2.

*Charitate piorum manium in suos patronos, corroboratur ea vis misericordiam obtinendi.*

742.

**V**ERUM etsi faceremus, per se frigere misericordiam divinam, & in pios hosce patronos parum esse propensam, ipsæ defunctorum animæ Deum medullitus tangunt, ac Mæcenatibus suis omnino propitium reddunt: ac proinde æternam eorum salutem asserunt. Quod ut demonstrarem, ordine quodam procedo, & primum de illarum oratione pro nobis, quando adhuc hærent in Purgatorio, tum de earundem invocatione, etiam id temporis, adhæc de illarum cælo post receptarum pro nobis deprecatione, ac denique de beneficiis ab iisdem receptis, ac recipiendis pertracto.

743.

*Possunt pro nobis orare.*

Principio itaque asserendum cum Suariorio l. i. de oratione c. ii. purgandas animas generatim orare posse pro Ecclesia militante, eiusque rectoribus, aliisque, quos ignorare nequeunt, & vitam agere, & suas preces mereri, ut merentur omnes, qui iis opitulantur. Deinde id quoque sat compertum, & ex jam dictis consequi pro parentibus, & amicis Deum precari posse, hac saltem lege, si adhuc in vivis sint, dum forte illud ignorant. Enimvero animæ illæ gratæ sunt ipsi Deo, nec possunt aliis ex charitate, qua præstant, non benè, & optimè velle. Quid igitur obstat, quo minus valerent pro iisdem orare? Etsi enim in carcere atineantur, etsi à Deo puniantur, quod obijciunt nonnulli, quid tum? cum nihilominus illi charissimæ sint, pœnamque æquissimo animo perpetiantur: tamquam si filius Patris manum castigantem osculetur, ei que pro verberibus gratias agat? Ut enim nos ipsi mortales, etiam cum ab eo justissimo Judice nos affligari propter crimina non nescimus, pro defunctis preces fundere nihil vetat: ita nihil vetat pro nobis fundere defunctos, etiam quando castigantur. Quid? quod in pœnis humanis, ac quotidianis pater reus, ac supplicio destinatus pro filio, aut amico pariter reo supplicare Judici, & immunitatem à pœnâ petere, subindeque impetrare potest? Cum ergo animæ non jam culpæ, sed solius pœnæ sint reæ, quando potius ac facilius pœnam à nobis amicis, ac patronis suis poterunt deprecari? Itaque pœnæ subeunda status, precibus pro aliis fundendis nihil officit, cum nec

vim precandi, nec pium in alios affectum vel extinguat, vel diminuat.

Neque verò idem status vim impetrandi ullatenus frangit, si ut usuvenit piis defunctis, cum patientiâ est conjunctus. Cum enim orationi hoc insitum sit, ut quod petit, impetrare possit, si modò conditionibus quibusdam fulciatur, & hæc omnes orationi piorum manium insint, nihil obesse potest, quin impetrent? Etenim id, quod flagitant, bonum, & honestum est, & ad nostram salutem opportunum; & verò spe firmâ, robustaque orationem suam muniunt (cum apprimè noverint Deum, & posse & velle benè nobis facere) ac denique orationi adhibent constantiam, diu noctuque idem urgentes, ut patronis suis præsertim, benè sit, & beatè. Et sanè si Patres illiantiqui in Limbo commorantes pro Gente suâ Judaicâ Deum orabant; si Onias Judæ Machabæo apparuit *protendens manus, & orans pro omni populo Iudaorum*: Si Jeremias teste Onia *multum orabat pro eodem populo, & universa sancta Civitate. Si idem dexteram extendit, & dedit gladium aureum Iudæ dicens: accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deiciet adversarios populi mei Israel* 2. Mach. ult. an existimabimus frustra illos orasse, atque adeò perperam: maximè cum orationis Jeremiæ fructus ex devicto Nicanore Judæorum impiissimo hoste compertus sit: an credemus orationem piorum manium, in quibus multi egregia virtute, ac sanctimoniâ censentur, omnesque sunt Deo charissimi, hoc etiam gratiâ tempore sterilem esse fructuum, nihilve, aut perparum obtinere posse?

Quod si verò obtinere potest, si pii manes pro nobis precari; quis ambigat, quin impensissimè ad precandum incumbant, ut mæcenatibus suis, quam possunt, gratiam rependant? Enimvero Adrianus 6. in 4. de pœnitent. *Si quis, ait, pro animabus in Purgatorio, quamquam peccator, animo illis proficiendi orationem fecerit, obligat eos ad antidota, sive ad gratitudinem, licet nihil eisdem forsasse impetraverit*: Et hoc fere modo Gerson Serm. de animabus, illas *debitrices* ei facit, nec quisquam potest infitias ire. Atqui primum constat animarum purgandarum statum omnis vitii immunem esse, nihilque in illis ex vitæ præteritæ noxis restare præter obligationem ad pœnam iis debitam; non ergo habitus pravos, multò minus vitia, aut immoderatas affectiones: neque igitur hæere illis posse ingratitude, vitium Deo, hominibusque exosissimum. Contra autem in iis dominari charitatem in Deum, & cæteris

744.

*Et impetrare.*

745.

*Ergo orant.*

& cæteris imperitare virtutibus. Deinde usû & experienciâ suâ perspectissimam habent lustralium tormentorum acerbitatem, atque adeo levamentum illius à mortalibus profectû maximi faciunt, præsertim cum non possit esse tam exiguum, quin majus sit, quàm si eos ingentibus morborum, suppliciorumque humanorum malis, & centenis mortibus liberaret. Præterea certissimè noverunt, auxilio illo non posse sibi minus accedere boni, quàm si vita beatissimâ per mille, & mille annos donarentur, cum momentum gloriæ omnem hujus vitæ fælicitatem longissimè superet. Cum igitur & charitas, & omnes virtutes in eo purgationis statu omnes exerant vires, grati animi in patronos propensio tanta est, quanta ut minimùm in mortalibus responderet enumeratis illis omnibus beneficiis; atque adeo fieri nequit, quin sit maxima. Itaque incredibile dictu est, quantopere ad mutuam opem patronis suis referendam incitentur, & si plurimorum optimorumque mortalium grati animi studia in unum pectus colligerentur, haud scio, an unius animæ purgandæ studio gratificandi mæcenatibus suis, cõparari possint. Igitur & hoc necesse est, ut omni quo valent modo illis sive per se, sive per alios gratificentur.

746.  
Primum  
per se.

Et per se quidem, ut experienciâ novere aliquos sibi patrocinari, ita & pro iis generatim orant; id certum. Particulatim autem, nominatimque nosse, & Deo commendare aliquos, saltem patronorum suorum, perquam probabile est. Etenim Angeli facillè illos condocere possunt, qui ex mortalibus faveant iis nominatim; & verò ad id quodammodo obstricti esse videntur, sive patrocinantium Tutelares, quos ratio custodiæ, & clientium amor, horum bono in omnem partem intentos esse jubent, atque adeo impellunt ad preces defunctorum iis tum præsertim exigendas: sive Tutelares ipsorum manium, ut solatium aliquod illis ex patronorum distinctâ notitiâ pariant, & hæc est magni Suarii sententia lib. 1. de orat. cap. 10. Accedit quod ejusmodi notitiâ videatur exigere grati animi virtus, cum feratur ad gratiam ei qui contulit referendam, atque adeo ad ejus notitiâ, quod fieri potest, exquirendam: & quod hoc quoque votum sit patronorum, ab iis cognosci, quos juvant, si maximè sanguine aut amicitia sint conjuncti, & quod denique ex historiis, ac visis pateat pios manes de nonnullis nominatim questos, quòd ab iis essent derelicti.

747.  
Non noverè  
omnes qui

Cæterùm omnes eos, qui orant, aut quid eorum causâ agunt, piis manibus cognitos esse non arbitror; quia dum ab aliquibus

generatim pro omnibus oratur, oporteret <sup>orant pro</sup> illos toti Purgatorio innotescere, & cum <sup>ipsis.</sup> oratio pro uno è defunctis fusa, cæteris lætitiâ aliquam & levamen pariat, quotiescumque unus juvaretur, eum qui juvaret, univertis manibus significari necessum esset. Verùm parum interessè videtur, sive noti, sive ignoti sint animabus, qui eas levant; sat enim omnes novit Deus, cui animæ illos commendant: neque verò particularis ac distincta eorum notitia ad precum virtutem multum confert, nec magnopere studium accendit precandi: Sat enim ad id per se feruntur solius opis acceptæ respectu; & si quæ alia nomina eos ad precandum invitare possunt (uti parentelæ, amicitia, & hujusmodi) sat est, si generatim illis obversentur.

748.  
Potest Deus  
orari per  
merita pio-  
rum ma-  
nium.

Atque ea ratio cognitionis generalis sufficit quoque, ut à piis manibus aliquid postulemus. Et si quidem agatur de postulatione alicujus opis, interpositis eorum meritis, res videtur satis comperta; nam & sic in Veteri Testamento orabatur Numen per merita Patriarcharum Limbo adhuc detentorum. Verùm id non tam est animas orari, quàm Deum, vel certè Christum, ut earum gratiæ amicitiaque respectu fructum meritorum suorum nobis applicet. Si verò de precibus ad ipsas propriè directis sermo est, quia incertum est, an, & quando nos audiant, cognoscantur distinctè, ac particulatim; non videtur suadendum, ut ipsimet orentur; majus, certiusque operæ prætium erit, si preces vel ad Angelos eorum Tutelares, vel ad Cælites eorundem patronos, vel proximè ad Deum destinentur, eo consilio, ut ipsi manes pro nobis supplicent.

749.  
Duplex  
modus eo-  
rum opem  
implorandi.

Quod duplici ratione fieri utiliter potest. Primum, si simpliciter preces ad Deum fusas, aut jejunia, aut sacrificia, aliave subsidiorum genera, ipsis addicimus, quasi anticipata solutione, ut ad mutuum subsidium eos grati animi vinculo obstringamus: qui modus liberalis est, & ingenuo liberalique homine dignus. Alter, si proponamus aliquid eorum causâ perficere, eâ lege, ac conditione, ut prius eorum precibus ac patrocinio voti compotes simus. Ita quis iter ingrediens in eorum subsidium vovet sacrificium unum, duo, tria, si sospes atque indemnis domum remeet. Alius merces maris committens, simile quid spondet, si salvæ portum teneant. Alius morbo pressus stipem egenis in gratiam illorum destinat, tum primùm, nec secus impertiendam, quàm cum morbo liber evaserit. Qui posterior modus non est improbabilis, neque obligat

obligat ante positam, quàm præfixeris, conditionem. Tamen à decoro hominis Christiani longiusculè abest, si quidem nihil ante positam conditionem offerre volueris: cum ad præparatum & illiberalem animum, imò immitem ostendat. Honestissimus erit medius, si & quid subsidii præstes ipse prior ante acceptam opem, & plus spondeas, voveasque reddendum, cum acceperis. Porro hujus velut pacti, aut etiam voti summa utilitas hinc patebit, quòd summo desiderio miserabiles animæ feruntur ad libertatem vel ab igne, vel à carcere; quare omnem, ut aiunt, lapidem moturæ sunt, ut conditionem impleant, teque voti compotem reddant, ut & ipsæ compotes suorum reddantur.

750.  
In celo no-  
runt pa-  
tronos.

Atque hæc pii manes etiam in Purgatorio carcere. Quid verò post in celo? Ego quidem, etsi Suarius dubitanter hic agat, certum arbitror, iis celo jam potitis, omnes orationes, Missas, subsidia omnia sibi impensâ optimè & sigillatim nota esse. Nimirum quia status ille beatus omninò perfectus est vel ab initio. Igitur ab initio patronis suis gratissimæ sint, oportet. Et quod hinc consequens est, necessum est, ut beneficia in se collata sigillatim ac distinctè noverint, ut agnoscant ac compensent. Ergo optimè novere quidquid opis sibi collatum est ad liberationem à tanto supplicio, atque ad usuram tantæ felicitatis. Igitur & distinctissimè cognoscunt illos, à quibus omne illud suum bonum manavit, ut vicem rependant, ut adjuvent, ut omni viâ, ac ratione gratos sese iis exhibeant. Imò verò etsi Deus per sese illis hæc non significaret, Angeli seu eorum, seu patronorum cælum introeuntibus gratulabundi clamarent; imò clamant, ac prædicant, ut non possint ullatenus ignorare: quoniam & illorum interest beneficia à se impetrata, à clientibus compensari.

751.  
Eosque il-  
lic reci-  
piunt.

Illustrantur, ac confirmantur hæc ex eo Christi effato Luca 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quænam enim illa mammona? opes, inquam, quæ iniquæ dicuntur, sive quia per fas nefasque quæri solent: sive quia suis possessoribus infidæ, & parum æquæ; sive quia materia sunt fraudum, & illecebræ furtorum. Quinam verò illi amici? plerique egenos interpretantur. Rectè id quidem; sed cum ex iis, quibus stipem largitus es, aliqui ad orcum damnentur, qui te illi in æterna tabernacula recipient, unde æternum exulabunt? Respondent etiam ipsos dici recipere, propterea quòd ob eleemosynam iis collatam Christus, & Im-

maculata Deipara simul cum Angelis te recepturi sunt: non rejicio explicatum: Sed numquid clariùs ac plenius per amicos illos intelliges pios manes, quorum causâ stipem dederis, imò quorum amicitiam erogatâ illâ iniquitatis mammonâ aucupatus fueris? Qui revera te ipsimet in æterna tabernacula recipient, id est, in cælum, quò illos ope tuâ præmiseris. Si autem recipient, ergo & noverint non modò cum cælum subibis, sed antea, cum defeceris, virâ scilicet defunctus. Imò cum te vires deficient, sine cum cessitabis, cum corrueris, non sine periculo viâ cæli excidendi, sustinebunt te ope mutuâ, ut tandem recipiant in domos suas, æternaque tabernacula. Denique unam ex iis audi, & acquiesce. Cum celebris illa puella Aragonia post centum, & quinquaginta dierum à morte obita spatium S. Dominico spectandam se exhibuisset, inter alia significavit missam se à reliquis defunctis, rogatum eorum nomine, ut sertum virgineum, & virgineum sodalitiū frequenter ac publicè prædicaret: suos autem parentes, & amicos, ut illius sodalitiū albo inscripti, ipsos efficerent meritorum ac precum suarum participes: utique se cum cælo potituri essent, in millicuplum gratiam istam compensaturos. Nieremb. Troph. Mar. c. 29.

Quare rectissimè celebris quidam ætatis nostræ mercator, postquam ejus con-  
jux memorabili Belgis exemplo, parthenoni, & ipse Societati Jesu nomen dedit, secum ita ratiocinatus est. Nemo præter Deum, meque novit, quantum debeam Domino meo. Qui vero solvam? nempe eum sequar, quem ipse Dominus laudavit, licet villicum iniquitatis, qui nec fodere valens, & mendicare erubescens, singulos ejusdem Domini debitores adiit, & nomina sua in dimidium minuere jussit. Itaque faciam, inquit, & ego mihi amicos, ut cum defecerim, recipient me in æterna tabernacula. Quamobrem jam nunc descendam in Purgatorium carcerem, & modò ab hac, modo ab illa animâ quæram, quantum debes? fortè una respondebit, centum supplicii annos; & ego dicam illi: *accipe cautionem tuam, & scribe, quinquaginta*; reliquos ego solvam, imò conabor eorum persolvere. Altera forsitan respondebit viginti annos se debere, & huic dicam; & tu apocham recipe, & scribe unicum, ego pro reliquis faciam satis. Ita piis manibus addixit ille, quidquid lytri synaxibus, sacrificiis, coronis, cæterisque piis operibus colligere poterat. Deinde quidquid per Indulgentiam Pontificiam

752.  
Industria  
pii mercatoris.

## Patrocinium Defunctorum. *Lib. II. 251*

tificiam illis condonandi copia erat, condonabant: verè industrius, verè studiosus lucri sui mercator: cui si multi similes essent, quàm locuples orbis foret! quantus thesaurus existeret nominibus animarum et si maximis, diluendis?

§ 3.

*Animarum Vindicibus cœlites securum præstant cœli aditum.*

753.  
*Quia facti sunt Christi servi.*

**V**ERUM etsi piissimi defuncti non possent Patronis suis, vel in lustrali custodia, vel in cœlo patrocinari, multa tamen aliunde auxiliorum copia ad salutem stabiliendam opportunorum suppetit. Christus primùm, ut eorum liberatione maximè delectatur, ita in liberatores perquam benevolus sit, necesse est. Cùm enim sexcentis nominibus pii manes ad eum perineant, totidem abs eo amantur, nec minoribus, aut paucioribus ad mercedem in cœlo expetuntur; & totidem nominibus eorum vindices, atque assertores gloriam promerentur. Præsertim quòd idem Redemptor naturâ liberalis sit, & vim quamdam sibi facere debeat, ut iis optimè de se meritis servis, & ad mortem usque fidelissimis, mercedem, aut vitam functis reddere differat. Quòd pertinet, quòd ex D. Thomâ liberalis à liberando dicitur, quòd velut onere quodam se liberet, quando mercedem, aut donum confert. Quare cùm nostri Patroni operam ad id suam illi commodent, hac quoque ratione ipsius Christi liberatores nuncupari possunt, & ipsi non dissimili mercede ac dono impertiri sunt digni. Itaque ad illos spectat ea ejusdem sponsio. *Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Carissimum enim, atque optatissimum ministerii genus est, in eâ sui liberatione Christo famulari. Sed nihil hac in parte illustrius, quàm ratio supremæ illius in judicio sententiæ, sive ista responsio: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Rectissimè namque per *minimos* illos intelligas defunctos, tum quia infimi loco & gradu sunt, quippe captivi & rei supplicio addicti: tum quia tamquam minimi in familiâ Christi seipfos juvare nequeunt: tum quia ab hominibus derelicti; tum denique quia extra misericordiæ regnum, atque in exilio sunt. Ergo qui non modò uni ex minimis hisce servis, sed pluribus opem tulerit, profectò paratum sibi à Patre æterno regnum possidebit: audietque aliquando & ipse hanc Christi in-

itationem: *Euge serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui: quia, inquam, non multas satisfactiones meo Sanguine emptas atque à me tibi in pium usum datas redimendis servis meis ex voto meo, fide bona impendisti: Eia cœli Rex esto, eademque qua ego felicitate potire: & bonis meis cœlestibus gaudiisque æternùm cumulare.*

Quòd si verò servos lustrali rogo extraxisse, securos cœli efficit, quid eripuisse amantiissimos filios? nam quanto filii dignitas servili præstat, tantò filius gratior est patri, quàm servus, illiusque patronus, quàm hujus mecenas. Porro sat clarum est ex dictis, omnes quidem pios manes Numinis esse filios, sed tamen eos præsertim esse caros, eoque nomine dignos, qui filiorum amorem illi, dum viverent, exhibere, de quibus utique præsertim potest intelligi illud Jacobi cap. i. de Patre luminum: *Voluntariè genui nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius.* Et enim illi nominatim, *voluntariè*, id est, magna Christi voluntate geniti sunt, quia efficaciter ad perfectam ac cœlestem Dei filiationem electi; ex qua dignitate excidere nequaquam possunt. *Geniti*, inquam, ac nati Christo Patre, per semen gratiæ peculiaris prævenientis, ejusdemque perseverantiæ; voluntate item humanâ, matre, per semen consensûs illius in gratiam, & vocationem divinam ad gloriam cœlestem. *Geniti* insuper *verbo veritatis*, imperio scilicet fideli & efficace Christi, qui quos *præscivit, & prædestinavit, & quos prædestinavit, illos* certò ac proximè *glorificabit, ut sint initium aliquod creaturæ eius*, id est, quemadmodum Vatablus vertit, *ut obtineant principatum inter creaturas eius*, vel quemadmodum Oecumenius *ut sint primi, & honoratissimi*, vel quemadmodum Syrus, ac Hieronymus, *ut sint primitiæ creaturarum eius*, sive filiorum Dei; quia nimirum iidem maximè inter Dei filios adhuc nati minores, nequedum adeptos hæreditatem paternam, Principes sunt, & primi propter status gratiæ securitatem; & velut primitiæ ex omni filiorum Dei acervo selectæ ab Ecclesia, Deoque consecratæ ad gloriam ejus Majestatis perpetuis laudibus celebrandam.

Hos ergo tam eximios, tam Numini charos filios, qui eo tempore, quo adeunt hæreditatem paternam, captos in viâ, atque infami ærumnosoque ergastulo clausos, suo periculo asserat, ac Patri divino sospites reddat, quo præmio compensandum putas? quantis subsidiis, ne gratiâ tam boni

754.  
*Quia facti sunt filii.*

755.  
*Maximè cura sunt Deo.*

Patris excidat, muniendum? Cùm Maximilianus necdum Imperator, venando in altissimam rupem evasisset: unde nec referre pedem, nec ulterius ferre, nisi in præcipitium posset, omnibus elapso biduo velut desperatum lugentibus, ignotus quispiam habitu rusticus dimotis grandibus saxis callem paravit, eumque in tutiora deduxit. Tùm verò post immensam omnium gratulationem juvenis ille edicto patris ubique quæsitus est ad dignam mercedem; cumque inventus non esset, Angelus Maximiliani Custos creditus est. Et si Rex quispiam primogenitum suum è Turcarum manibus ab aliquo ereptum sciret, procul dubio servatorem singulari perenni que honore, amplisque divitiis compensaret. Quamobrem omnino rationi consentaneum est credere Regem Regum, eos qui filiorum suorum quempiam è flammis, atque è justitiæ divinæ manibus eripuerint, ingenti præmio remuneratum: Quod si non unum, sed complures vindicarint, quid credendum? An fortassis passurum sempiternis illos suppliciis macerari?

756.  
Quia opitulatur  
Christi  
Sponsi.

Sidenique Christum jam contemplamur, ut animarum quidem omniùm, sed præsertim ei dicatarum Sponsum, non potest erga earum liberatores non optimè affici, atque adeò nequit eos non uberrimis benevolentia suæ fructibus cumulare. Nam de ipsius in Sponsas amore satis constabit, si audias S. Thomam opusc. 63. c. 7. docentem, ita hominem promiscuè Christo carum esse, *quasi homo Dei Deus esset, & tota salus divina in ipsius inventione dependeret, & quasi sine ipso beatus esse non posset.* Ita Angelicus Doctor. Nomen igitur, & dignitas Sponsæ, & talis Sponsæ, ex hominibus selectæ, quomodo pectus divinum afficit, quomodo ex adverso ejus viscera commovet tam dilectæ Sponsæ detrusio in tenebricosum atque infamem carcerem, vel tum, cùm Divinitatis intimo aspectu, gloriaque cælesti illam perfrui oportebat! quomodo ejusdem conflagratio à terribissimo acerrimoque igne Sponsi divini animam urit, quando beatifico Numinis amore suavissimè ardere deberet! Quomodo ingens illius tristitia eundem piissimum Christi animum ferit, quando in sinu æternæ Pacis commoratura, & immensis Beatorum gaudiis perfundenda fuisset! nonne, qui aliquando ad merorem, ac lacrymas Magdalena, ac Marthæ lacrymatus est Jesus, ad gemitum, ac ululatum dulcissimarum hujusmodi sponsarum, si ratio vitæ beatæ id sineret, toto pectore ingemisceret?

757.  
Ideo Christi  
Sponsi.  
Quis igitur tum sensus tam amantis Sponsi! quis affectus in eum, qui sponas dilectissimas erutas è flammis illi reddat ad falices æternosque amplexus! fertur Carolus Quintus cudi jussisse prægrandes nummos aureos pretio 20 Ducatorum, alterâ quidem facie suam, suæque sponæ Isabellæ effigiem; alterâ verò Cæsarea insignia præferentes; bis mille cusi, & bis mille Marchioni de Vallaral à Cæsare donati. Cur quæso: quòd is eandem Isabelam voluntate Joannis Lusitanæ Regis Hispalim usque honoris causa esset comitatus. Ita memorat historia vitæ Cæsaris flandricè scripta. Quod si ita est, Quid fecisset Cæsar, si periculis ereptam idem Marchio suo periculo ad se adduxisset? Quid igitur Christus iis præstabit, qui non unam, sed plures longè nobiliores sponas tali re, ac tempore, flammis liberatas ad jucundissimas cum eo nuptias cælo intulerint? summa inquis, & summo opere expectanda. At extra salutis securitatem, adeoque extra crebra illius potentiaque præsidia, quidquid reliquum est, parvi faciendum est. Certè Christo nullo in pretio est. *Quid enim prodest homini si mundum univèrsum lucretur, anima verò sua detrimentum patitur;* igitur pro hoc tanto caritatis in Christum officio, animæ salus expectanda est.

758.  
Divæ virgo  
patronos  
defunctorum curatur.  
Quid dicam de Immaculatæ Mariæ singulari studio in eisdem piorum manibus liberatores, nam & hæc dicere habet, quod Christus, *quodcumque uni ex his meis minimis fecistis, mihi fecistis,* sive quia amoris est ex duobus unum conflare, hæc autem pios manes, ut ostendimus, intimè amat: sive quia de ipsius substantiâ, id est, SS. Eucharistia in qua Mariæ substantia manet, vitam animæ, & jus ad beatam resurrectionem hausere, & retinent; ac proinde velut membra quædam Mariæ, per eam vivunt, viventque æternum: sive quia ejusdem filii sunt, eò cariores, quòd eorum partus graviore constitit dolore, ac labore; mater autem magis in filiis, quàm ipsi, torquetur, & illorum amplius, quàm sua libertate lætatur. Atqui si Deiparam igne Purgatorio eriperes, quod præmium à Christo ejus filio, quod grati animi pignus ab ipsâ expectares? Nam si statuam, si imaginem illius aut igne, aut iconomachorum manibus rapuisse, si vestium, & rerum illi sacrarum vitium avertisse, plurimis saluti fuit: quid erit eam in membris suis vivis incendio purgante eripuisse? Si *Misericordiæ mater est,* eoque nomine ab ipso conceptionis momento miseros manes piè aspexisse dicitur, an non erit pia, &

pia, & misericors in eos, qui in eisdem manes pui fuerint, ac misericordes? *Si gratia plena, & gratia parens est*, an erit animo tam illiberali ut gratiam iis non referat? Si denique *turris est David, ex qua pendunt mille clipei, & omnis armatura fortium*, an illos ad se confugientes non excipiet? non tutabitur, non defendet? Neget ille, & jure perneget misericordiam tuam Diva, qui cum in defunctorum animas tibi charissimas suarum largus satisfactio fuerit, sese à te derelictum senserit. Pereat tibi dignitas, & nomen tuum, *sive Civitatis refugii, sive Scala Jacob, sive Matris sancta Spei, sive Porta cœli, Consolatricis afflictorum, & aliud quaecumque*, si eundem ope, ac solatio, dum egebit, destituas. Imò quia fieri nequaquam potest, ut deseras, ac destituas, & necesse est, ut singulari cura ac sollicitudine protegas, ac juves, maneat fixum, ratumque, si quid pietatis pectore geris, id illi nominatim esse exhibendum.

759.  
Item An-  
geli.

Nec dissimilis est hoc in genere Angelorum benevolentia. Ut enim taceam amantissimos servos eodem quo Dominus & Domina studio duci, cum omnes sint *administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*, mortales suæ socios curæ adamant, atque ad eò hoc officio in pios manes mirificè devinciuntur. Adde, quod videant eo pacto, citiùs impleri sedes perduellium spirituum, & pro eorum in Deum maledictis cœlum divinis novorum incolarum laudibus personare. Deinde charitas hæc S. Michaeli maximè jucunda accidit: hic enim patronus quoque est Ecclesiæ patientis, & solutis pœnis animas suscipit, in cœlum cum triumpho provehendas. Præterea Tutelares nostros etiam nobis singulariter eo pacto obstringimus; tum quia ipsi nos ad id officii excitavere, pro suo in defunctos amore; tum quia gaudent custodia suæ fructum ad eos quoque pertinere; tum quia norunt Christo, ac Christi paræ charissimum esse, cui se, vel suos placere, summa votorum est; tum denique quia clientibus utilissimum fore agnoscunt. De Tutelariis animarum, quid attrinet loqui? Sunt enim illis parentum instar, sunt Tutores, sunt præfides, sunt magistri, verbo, omnia. Quare quibus gaudiis perfunderentur parentes, tutores præfides, magistri, si quemè suis cernerent incendio lustrali educi; iis ac majoribus implentur animarum Tutelares, & illos, qui educunt, eadem, quæ omnes illi benevolentia prosequuntur. Cum itaque plurimum apud Christum, ac Mariam pos-

sint, quid non potest ab iis sperari, maxime cum liberatores illi, Tutelarium sint adutores; & secundarii quidam tutelares? Quare si Paulus Epistolis suis pluribus studiosè, nominatimque *Adiutores* suos commendat præter cæteros, non est dubitandum, quin iidem illi liberatores à Tutelariis defunctorum etiam, atque etiam Numini commendentur. Equidem existimo illos clientibus suis cœlo receptis, cum jam illis quodammodo vacet, præcipuam quamdam curam suscipere liberatorum, & esse illis novos Tutelares. Quapropter cum singuli *castra Dei* sint, quid iis omnibus nos cingentibus erit timendum? Cum singuli amicissimi, dulcissimi, sapientissimi, fidelissimi, gratiosissimi apud omnes Cœlites sint, quid non ab omnibus expectandum?

Et verò eadem charitate cæteri etiam Cœlites devinciuntur animarum liberatori, propterea quòd eorum in cœlum ingressu novum & incredibile gaudium percipiunt. Nam si quidem de Beatis aliorum parentibus agitur, quis non videt longè ampliori gaudio complendos ex natoꝝ properatà ad beatitudinem profectione, quam vel Jacob audito Josephum vivere ac dominari; vel prodigi patrem hoc recepto? Et tamen ille, *Sufficit*, inquit, *mibi, si Joseph filius meus adhuc vivit*; beatus sum, nihil ultra desidero: hic autem gaudio delibutus ruit in filii amplexus, ab illius collo pendet, nec se capere videtur, dum recipit illum. Quo igitur affectu, quo grati animi sensu, beati illi parentes feruntur in eos, qui tanti gaudii fons, & origo extiterint? Jam si spectemus Divos, antehac patronos recentium beatorum; planè plusquam paterno amore illos prosequuntur, ac proinde in eorum liberatores optimè affici exploratum est.

760.  
Et cæteri  
cœlites.

Nec tacenda est Cœlitum ejusdem fortis, ac laureæ prærogativa quædam, gaudii accessione novi incolæ. Constat enim Virgines ingressu novæ Virginis, Religiosos ejusdem Ordinis religiosi, viduas viduæ, & hujusmodi singulariter inter se amare, ut dulcissimos fratres, aut sorores, nec quidquam in terris simile, aut secundum illi amicitia posse reperiri: Cum ergo in reducem peregrè, perfunctumque variis periculis fratrem, tota domus lætitiâ exultans effunditur, cum eadem deinceps socium, ac defensorem illius miro affectu prosequatur, profectò totus ordo Virginum cœlestium tanquam effunderetur gratulabundus in novellam Christi Sponsam, cœli regiam ingredientem, cognito quo ope cujuspiam flammis expiaticibus creptam,

761.  
Nomina-  
tim ejus-  
dem sortis  
atque or-  
dinis.

tam, celerius ad eas adventare, mille, ac mille votis felicitatem ei precabuntur, & Deo volente ac auspice procurabunt.

762.  
Illustratur dicta.

Atque ita de cæteris philosophandum est. Enimverò si, quia coluntur Sancti, beneficiis cumulant suos cultores minus ut arbitror, gaudii, gloriæque ex cultu suo, ac veneratione percipere possunt, quàm ex charissimi sodalis ac fratris in cælum adventu, quandoquidem ea societas illis gratissima atque honoratissima sit. Illum igitur, qui adventum illum accelerabit, quibus poterunt beneficiis impertire, nec cessabunt benefacere, donec impertierint, eadem, quam alteri procuravit, beatitudine: quippe quam etiam suâ sponte illis vident, gaudentque impertire. Denique si Divi ac Cælitæ plurimis maximisque beneficiis eos afficiunt, qui statuas illorum, atque imagines honorant: Si, quod memorat noster Poirræus in triplici Virginis coronâ tract. 3. cap. 7. Braccharæ in Lusitaniâ mancipium quoddam, Turca, cum sæpè sæpius Domino de capessendâ Catholicâ religione benè illum monenti reluctatus fuisset, tandemque ab hero jam ægro jussus statuam Divæ Virginis floreo ferto coronare, itaque ornatam inferre cubiculo, ubi jacebat herus, floresque ante illam spargere, libenter paruisse, ab ipsâmet Immaculatâ Deiparâ eidem se videntem præbente, fidem Christianam persuasus est: nonne fas est longè plus, & ab hac, & ab aliis Cælitibus sperare, si, non eorum statuas, sed Deum, & ipsos longè excellentiori honore gaudioque afficiamus complures in cælum legando pios manes, qui clarissimis laudibus eos exornent?

763.  
Etiam alii defuncti patrocinantur.

Postremò, cum, ut diximus, omnes purgandæ animæ solatium accipiant ex unius sodalibus solatio, ac liberatione, nec ulla ex iis non gratissimo animo sit, abesse non potest, quin omnes & in Purgatorio, & potissimum in cælo, vel unius liberatori sint patrocinaturæ. Siquidem plures æstiment qualecumque illud, & tenue in speciem solatium, quàm viarum divitias complures imò & amplissimas hujus orbis dignitates, facultatesque æstimarint. Quare cum maximas gratias vivæ retulissent, eas sibi procuranti donantive, post obitum maximas illi liberatori habebunt, neque verò gratias illas steriles esse patiantur.

764.  
Epitogus dictorum.

Quæ cum ita sint, considera, mi Lector, quot amicos, quot patronos, & quàm potentes ac Deo gratiosos tibi parias, dum, levandis piis manibus te addicis, & si quid te movet ratio utilitatis veræ, ac solidæ, totum te illi impende. Nam si mortales

procerum gratiam & amicitiam tanti ducunt, ut illi adipiscendæ, & conservandæ, pericula adeant, labores maximos subeant, vitam & sanguinem profundant, & sæpe irritò conatu; nos tot in cælesti curiâ amicos, Regi sæculorum immortalis charissimos, tam facili operâ nobis comparare cunctabimur? Ad extremum liberè dico, omnium optimam rationem sibi in præsens, atque in futurum consulendi, esse piam defunctis pro facultate patrocinandi, & suas satisfactiones transfundendi, consuetudinem.

§ 4.

*Exempla subsidii spiritualis in vindictis Defunctorum collati.*

CÆTERUM omne hoc subsidii genus 765.  
Cà piis manibus, ac Cælitibus in eorum Defuncti  
mæcenates ac patronos conferendi exem- pro patro-  
plis pluribus & illustribus confirmare licet. nis orant  
Et prius quidem, quod attinet ad apud S.  
mutua eorum beneficia spiritualia, audi- Birgittam.  
tæ sunt apud D. Birgittam l. 4. c. 7. animæ  
purgandæ ita quondam Deo supplicantes:  
*O Domine JESU CHRISTE, Juxta  
dix in iste, mitte charitatem tuam his, qui  
spiritualiter potestatem habent in mundo,  
tunc plus participare poterimus, quàm nunc,  
de eorum cantu, lectione, & oblatione. Su-  
pra verò spatium illud de quo clamor ille  
audiebatur, quasi domus erat, in qua mul-  
tæ voces audiebantur dicentes, Merces sit il-  
lis à Deo, qui mittunt nobis auxilium in  
defectus nostros. In ipsa quoque domo vi-  
debatur quasi aurora procedere, subitus  
verò auroram apparuit nubes, quæ nihil  
habebat de luce auroræ, de qua processit  
vox maxima dicens, O Domine Deus, da  
de tua incomprehensibili bonitate unicuique  
centesimam remunerationem in mundo, his  
qui nos elevant cum bonis operibus in tuâ  
æternitatis lucem, & tuæ faciei visionem.*  
Sic illæ animæ. Nec dubium quin exaudi-  
tæ sint ab eo, cujus nomen, Dominus, qui  
amat animas: qui etiam dixit: Petite &  
accipietis.

Quid? quod & Christus apud S. Ger- 766.  
trudem hujusmodi pro patronis preces illis Et apud  
injungit lib. 4. inf. cap. 27. Cum enim hæc Gertru-  
corpus animumque suum illi animarum dem.  
Amatori obtulisset ad quilibet pro illis  
subeundum, jamque gravissimum late-  
rerum dolorem perferiret: Tunc di-  
vinus Sponsus animis in hæc verba:  
*Hoc munus devotionis, ait, mihi ex tanto  
affectu à sponsa meâ oblatum, exhibeo vobis  
in cumu-*

*in cumulum beatitudinis sempiterna, vof- que ipsam propterea honore condigno hono- rare studete, precum ipsi xenia remittentes;* Ita ipse. Et l. 5. cum quædam anima Ger- trudis ope ab igne lustrali liberata esset, etiam nondum cælo invec̄ta, summo studio gratias illi egit, sat ostendens sese alias grati animi partes propensè exequuturam. Neque verò legitur ulla patrono post libera- tionem videndam se præbuisse, quin post gratiarum actionem plenam benevo- lentia, mutuam auxilium illi polliceretur.

767.  
Catalau-  
nense pro-  
digium.

Cæterum hoc idem studium animarum patronis opitulandi rarâ & admirabili hi- storîâ illustrari licet. Cerveræ in Catalau- nia extat Cœnobium Cisterciensis ordinis dictum S. Crucis, ubi quidam monachus sanctimoniâ floruit, cujus nomen Superis notum, mortales laret; at non hæc lauda- bilis ejus in pios manes pietas. Consueve- rat, quoties per sacros Canones, legesque licebat, Missam defunctorum facere; propterea *perennis animarum Purgatorii Capellanus* appellabatur: Celebris, & Pa- trum sermone ad hanc usque diem conti- nuata traditio est, quondam cum cœmete- rium transiret, humo elatam dexteram be- nedictione eum impertisse. Cum vero iter iterum istac haberet, iterum eandem manum solo extantem apparuisse ad bene illi precandum compositam. Accessisse verò illum, & manum traxisse, eamque cum brachio secatam, quod brachium ho- dieque carne ac pelle vestitum illic visi- tur. Ita testatur Henriquez in Menologio Cisterciensi.

768.  
Patronos  
efficaciter  
juvant ani-  
ma.

Porro bonas hujusmodi preces mortali- bus peritiles esse exploratum est. Et Diva quidem Catharina Bononiensis facta est plurima se beneficia defunctorum ope, quam flagitare consueverat, cælitus accepisse; nec rarò accidisse, ut ea per il- los obtineret, quæ per Cælitæ nequiverat obtinere. Et idem sensus, eademque in- dustria fuit B. Annæ à S. Bartholomæo, S. Theresæ comitis, & administræ: Siquidem familiaribus commendare solita erat, ut si preces suas efficaces esse vellent, promitte- rent piis manibus aliquem sacrificiorum numerum, si quidem voti compotes es- sent, ad eorum levamen faciendorum; cujus quasi contractus felicem successum proximè inferius proferemus. Adde quod ipsa Immaculata Deipara Alphonsum Cortesium è Societate Jesu, familiaritè aliquando quiritantem, quòd illa molestis animi angoribus, scrupulisque ipsum con- fici pateretur, haud dubio oraculo com- monuit, ut si liber ab illis esse vellet, ani- mis è Purgatorio carcere redimendis, ope-

ræ plurimum impenderet, ita optatis frui- turum.

Et verò Nolæ in Italiâ Anno salutis 769. 1600. quemdam hominem in pios manes *Monent de morte in- stante.* benevolum, ac pium, ipsi nocte mortem proximè antecedente è somno excitatum, instare obitum monuerunt, simulque, ut primo mane Sacramentis pœnitentiæ, & Eucharistiæ se muniret, adhortati sunt: Quod cum ille in templo Soc. Jesu insuero doloris ac pietatis sensu præstitisset, paulò post derepentè ac feliciter expiravit. Ita litteræ annuæ Soc. Jesu è Collegio Nolano Provinciæ Neapolitanæ illo anno in urbem datæ.

770.  
Revocant  
à prava  
vita.

Ejusdem generis est, quod refert noster Joannes Rho exempl. l. i. c. 14. de Cristo- phoro de Lugo, ordinis Prædicatorum, in hæc verba. Ignem infrugiferum, sterilem- que esse, etiam cum de hoc nostrate sermo est, verissimum sit, ille tamen, qui animos excoquit ad purum, fundus est nobis oppi- dò fertilis. Nimirum eum, qui operum semen illi credidit, numquam uberi messe fraudavit. Et de Christophoro quidem de Lugo, quem deinde virum egregiâ virtu- tum famâ suspexit America, tradunt Ana- nales adeò corruptis in adolescentia fuisse moribus, ut in popinis ac lustris inter alea- tores ac sicarios agens, etiam de publico larcocinio cogitaret. Illa tamen illi pro- pria pietas fuit pro animis igneo illo er- gastulo conclusis quotidie orare, & psal- mos, in quibus olim Regius Vates sua cri- mina deslevit, quosque à pœnitentis animi argumento pœnitentiales vocamus, non sine lacrymis recitare. Ergo illis haud du- biè apud Deum agentibus, quibus sola- tium attulisset, repente mutatus animo, ac S. Dominici ordinem secutus, admira- biles in virtute fecit progressiones. Sicille.

Illustrius est, quod de quodam Britone, 771: homine Laico, sed pio referunt. Is inter *Cantant officium de- fectorum pro patro- no.* alia pietatis exercitia, consueverat quo- rielcumque per cœmeterium iter habe- bat, defunctorum istic quiescentium cau- sâ, piam aliquam precem recitare. Cum ad extrema redactus esset; concubia nocte misit, qui Curionem suum rogaret, ut SS. Viaticum ad se deferret. Ille autem ope- ræ atque incommodo labori parcens, Vi- carium suum id muneris exequi iussit: Qui cum promptè paruisset, ægrumque sacra synaxi ad iter æternitatis munivisset, rever- sus ad templi fores, miratur apertas esse, cum diligenter clausas in egressu obseras- set. Cum varias cogitationes super eo eventu versat, sensit se fortissimè eo loco atineri, sic ut nec promovere pedem, nec referre queat. Intereaque vocem audit è cœmeterio

cœmeterio in hanc sententiam, *Surgite pii manes, properemus in adem sacram, animam amici nostri Deo commendaturi, qui numquam hac transibat, nisi Deum nobis propitiaret.* Tum verò exurgentium è tumulis strepitus audiri, faces parieti templi affixæ accendi, concini alternatim, ac religiosè, quod vocamus defunctorum officium; quo peracto vox insonuit, qua cuncti manes ad sepulchra redire jubebantur. Dictum factum, tumque extincti sunt cerei. Quo demum tempore Vicarius ille quasi datâ veniâ templum ingressus, sacram pyxidem suo reponit loco, Curionem adit, à quo dormitum missus: *Domine Pastor, ait, nunc tempus est surgendi strato: Parochianus vester obiit.* Porro viso isto ita permotus animo est Vicarius, ut abjectis mundi rebus Religioso S. Martini Cœnobio juxta Turonem sese incluserit. Ita narant Chronica Cisterciensium.

772.  
A nece liberant.

Præclarum sanè est illud specimen subfidii defunctorum, sed hoc recentius, & illustrius circa annum 1620. Juvenis quidam Italus plurimis ab ineunte ætate flagitiis implicatus, tamen in purgandas animas erat misericors, quippe pro quibus fieri ad aram sæpe curabat. Quondam auræ gratia suburbanum petiit. Vesper erat, & insidiæ ab inimicis in iunere paratæ. Cùm ergo eques iret, eaque viâ, ubi è quercu membra latronis supplicio publico affecti divulsa pendebant, derepente visâ sunt illa conjungi, atque in pedes latro subito stetit, qui quidem cùm attonitum juvenem exscendere jussisset, & equo conscenso ad sexaginta passus, ubi insidiæ structæ erant, pervenisset, sclopis explosis humi dejecitur, fugiunt sicarii, exurgit latro in equum, & ad juvenem reversus, Ea fors te manebat, inquit, nisi ego Dei jussu subiissem. Datum id tuæ in vita functos pietati; in qua permance, & pristinos mores emenda. Emendavit, & Religiosam vitam iniit. Porro cadaver illud peractâ tragædiâ rursus dissectum, ac suspensum apparuit, quare credibile est vel Angelum, vel animam quampiam, ac fortè latronis, quòd de sacrificiis participasset, eam scenam exhibuisse. Jan. Erytræus. ex. virt. & vit. ex. 3.

773.  
Maximè  
juvant cœlo recepta.

Denique pios manes, nominatim cùm cœlo inveci sunt, suis patronis auxiliari, constat ex vita S. Catharinæ Senensis. Hæc enim cùm sui parentis animam precibus, & laterum dolore, quem in reliquum vitæ tempus ejus causâ suscepit, purgante rogo exemisset, ille tam piæ filix memor, non modo pro eâ, quamdiu in vivis perstitit, Deum est obnixissimè precatus, sed etiam frequenter amicissimeque illi se exhibuit;

in pietatis officiis consilio adfuit, dæmonis fraudes patefecit, cælestis vitæ gaudia, arcanaque plurima aperuit. Et simile est quod referunt de sore S. Thomæ Aquinatis. Siquidem cùm hæc sancti fratris precibus lustrali ergastulo educta fuisset, de imminente morte illum admonuit, ac futuram beatitudinem prænuñtiavit. Sanctum quoque Hugonem, apud Salvios Abbatem Cisterciensium Ordinis, ferunt cùm non modo Ecclesiam militantem schismate laceratam, sed & patientem majorem in modum adjuvasset, hujus precibus obtinuisse prophetiæ donum, & insuper miraculis vivum ac mortuum floruisse.

§. 5.

*Pietas in pios manes complectitur omnes notas prædestinationis.*

QUÆ cùm ita sint, perspectum est insignem prædestinationis notam esse pietatem in pios manes. Nam quæ hoc articulo disputavimus, omnia, eò scilicet tendunt, ut hoc confirmet, tutissimo loco salutem suam constitui ab illis, qui in eos benevoli ac liberales sint. Unde perspicuè conficitur benevolentiam illam esse notam non vulgarem consequendæ aliquando beatitudinis. Sed parum dixi. Aio igitur, eadem pietate contineri, vel inveni pleræque omnes illius notas à Christo, & SS. Patribus prolatas. Etenim omnes eæ septem primis quas vocant beatitudinibus, aut exprimuntur, aut intelliguntur.

774.  
Explicatur.

Ac prima quidem nota censetur, Humilitas Christiana; significaturque primâ beatitudine; *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Nam Augustino, Hieronymo, Gregorio aliisque authoribus, pauperes illi non alii sunt, quam humiles, quippe egestatis suæ probè ac libenter conscii. Atqui studium pios manes levandi animos nostros submittere natum est: nec enim stare potest sine pœnarum purgantium contemplatione frequenti, neque verò hæc sine culparum, quibus pœnæ tantæ redduntur, cogitatione, potest constare, utraq; autem insolentiam animi comprimit, & parit modestiam.

775.  
Prima nota.

Alterâ nota in salutis suæ singulari studio versatur, & hoc alterâ beatitudine exprimitur, ait enim Christus: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quis verò dubitet, quin Amator defunctorum eâ fame ac siti prematur, sive suæ salutis æternæ curâ teneatur

776.  
Secundâ.

neatur, qui urgetur studio alienæ, ac temporariæ? Si charitas, ignis est, nonne sitim accendet Deo placendi? Quocirca haud dubiè hietalis *saturabitur*. Abundè, inquam, illi suppetet, quidquid confert ad justitiam, salutemque adipiscendam, ac deinde dicere poterit cum Davide Pl. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Quoniam & illi idem, quod Apostolis, dictum est. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater Regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*, Lucæ 22. Et profectò rectè ita res dispositæ sunt, ac constitutæ. Cùm enim ipse Amator, ac patronus piorum manium ita his provide-rit, ut ederent, ac biberent de ambrosia illa, ac nectare cælesti, an fas esset eum ab ea mensa excludi? Beatus igitur, *Quia manducabit panem in regno Dei*, Lucæ. 14.

777.  
Tertia.

Jam tertia nota in forti adversæ fortunæ patientiâ sita est, & hæc ad tertiam beatitudinem spectat, quâ dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, nimirum *viventium*, de qua Regius Psaltes non uno in loco, mites enim illi sunt homines mansueti, qui injurias vel hominum, vel temporum non graviter, sed leviter ferunt, utique ex Christi disciplinâ sic docentis, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Quis autem non videt patientiam malorum hujus vitæ facile illi persuaderi, cui alterius ingentes cruciatus frequenter obversantur? Quis nescit misericordiâ molliori peccus, aptarique mititati? Ergo hac quoque ratione Amator piorum manium *terram* illam *viventium, hereditate*, ut Græca significant, *possidebit*, jure, inquam, suo, velut paternam hereditatem expectabit, atque adeò securè ac facile obtinebit: quia hæc potissimè caritas, quæ benignitatem parere nata est, Numinis efficit filios.

778.  
Quarta.

Adhæc quarta prædestinationis nota benevolentia in proximum censetur, & hæc quarta beatitudine continetur; sic enim illa. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Cui autem hæc beatitudo magis competat, quàm Amatori defunctorum, cùm eorum causâ miseræ propè immensæ caput suum sapius objectet, Deo spoliari, & cremari paratus, modò illis bene sit, ac beatè? Si, *qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos id iudicio*, sic ut Quæstori Christo in tremendo illo examine feliciter respondeat: *si paratum cor eius sperare in domino, adeò ut non commoveatur, donec despiciat inimicos suos*, Dæmones: certè hic ipse Amator ita causam suam, tunc temporis perorabit, ut iudicis in improbos sententiâ,

& quodam fulmine non commoveatur: Imò neque nunc illius metu perturbetur, cujus misericordiam singularem singulari misericordiâ promeretur. Itaque *dicite iusto* (clamat Deus per Isaiam) *dicite*, inquam, Amatori nostro, qui lytro satisfactionum suarum, justitiæ divinæ pro aliis satisfacit, *Quoniam benè, quoniam fructum adventionum suarum comedit*. Nulla enim inventio nulla profus ars lucrandi cælum, sive misericordiam consequendi, certior arte sublevandi defunctos.

779.  
Quinta.

Præterea insignis prædestinationis, ac beatitudinis nota est, sincerus atque intimus dolor de peccatis conceptus, & hic quintâ beatitudine expressus est: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*; qui lugent, inquam, *sua vel aliena peccata*, ita Origenes, Basilius, Cyrillus, Hieronymus, & alii, *ipsi autem consolabuntur*, sive ut Græca, *consolationem accipient*. Atqui noster maximè Amator animarum alienas noxas luget cùm plangit, ac levare studet earum pœnas; & quod huic confectarium est, execratur ac deflet suas, quippe eorundem feraces malorum. Igitur divinis solatiis hac in vitâ, & cœlestibus gaudiis in alterâ perfundetur. Ad eum enim pertinet illa Christi promissio Lucæ 16. *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Etenim dignissimus est, cujus tristitia in gaudium, idque liquidissimum ac cæleste vertatur, qui aliorum ingentem tristitiam vertit in lætitiâ pariter ingentem.

780.  
Sexta.

Denique frequens, ac pia præsentis Numinis contemplatio, pro sextâ ac singulari prædestinationis nota habetur, quam sexta quoque beatitudo significat. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*. Enimverò per munditiem illam cordis, seu animi, *simplicitatem* SS. Patres, atque interpretes intelligunt: ac nominatim Maldonatus, & aptè. Nam ut rectè Thomas à Kempis, *simplicitas intendit Deum*, ideò pura, mundaque; quæ autem mens ad creaturas fertur, immunda sit necesse est, uti & illæ immundæ: quia illis, amando inhæret, atque adeò earum sordes contrahit. Porro si mens intendat Deum, ad eum aspicit, illum respicit, illum præ oculis semper habet; digna igitur est, quæ clarè olim eundem intueatur. Quamobrem dignus eâ visione Amator defunctorum, qui vivus Dei amore suffragia cumulat, illisque addicit, Deum ut citius videant, atque ipsius nomine collaudent, ac proinde continenter eum aspicit; proptereaque beatissimo

beatissimo ac clarissimo illius intuitu perfruetur.

781.  
Septima.

Ad extremum singularis Immaculatæ Mariæ cultus inter notas beatitudinis recensetur : potestque ad septimam referri : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Sive autem pacificorum nomine eos accipias, qui pacem ipsi tenent cum aliis, sive inter eos componunt, qui Mariam colit, colit & pacem, tum quia Amor similes facit; pacis verò studiosissima est Maria, quippe quam intulit mundo, & omni qua potest, ope servat: tum quia Apis illa divina (sic enim Divam Virginem cum SS. PP. vocare licet) nescio quo cælesti melle suos perfundit cultores. Porrò idem defunctorum amor, parens, vel partus est Mariani amoris. Primum quòd sit amor filiorum Mariæ: deinde quòd sæpe ad illam misericordiæ matrem confugiat opis animis obtinendæ causâ, unde necessitudo, ac familiaritas: præterea quòd ex amore Christi manet: ac proinde ad Mariam se porrigat, cum posterior hic amor sit gemellus prioris. Denique quis ambigat, quin Patronus hic noster eam amet, à qua tot nominibus ipsum amari diximus? *Quare filius Dei vocabitur*, quia filius Virginis, ac Matris Dei, atque ut utriusque filius, regno paterno potietur.

782.  
Hinc fiducia.

Maecte ergo ô quicumque præcipuo quodam amore ac miseratione defunctos prosequimini: *In hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Scripta, inquam, in libro vitæ digito Dei, & sanguine JESU CHRISTI. Maecte iterum viri *Misericordiæ, quorum iustitia finem non accipient; filii olei, quia unxit vos Deus, qui & signavit vos, & dedit pignus Spiritus in cordibus vestris.* Confidite, unguentum istud, quo vos *Pater misericordiarum*, imò ipsa misericordia unxit, ad flammam divinæ charitatis concipiendam, fovendamque, peridoneum est; & sigilli, quo animas vestras obsignavit, tanta vis, ut eradi, aut deleri numquam possit; & pignus Spiritus repositum in cordibus vestris, tandem aliquando possessio ipsa SS. Trinitatis certò excipiet. Adhuc dubitatis? frustra: cum enim prædestinationis nota vel unica insignem fiduciam in vobis parere possit, ac debeat, quam vobis concipere fas est ubi affluunt omnes.

## ARTICULUS III.

*Pietas in defunctos etiam ferax est subsidii temporalis.*

SI quis contractus utriusque contrahentium est utilis, ille est, qui cum animabus Purgatorii nitur. Nec enim solum animæ salutem, plurimaque beneficia spiritualia parit, sed etiam, nec rarò temporalia, quæ scilicet ad salutem conducunt, vel certè illi non obsunt. Siquis igitur mercando quæstum non vulgarem facere, siquis mechanicam fructuosè exercere; siquis, quod contendit in iudicio, evincere; siquis feliciter navigare, aut ambulare; siquis consequi honores, dignitates, beneficia ecclesiastica, sæcularia, siquis pericula prævertere, aut evadere desiderat; en artem, en contractum cum piis manibus, ad ista omnia perutilem. Exerce illum, & vehementer locupletari, singulariter ornari, & honorari, sanus vivere, uxorem, filium, amicum ægritudine seu mentis, seu corporis eximere non ægrè poteris. Est autem, ut antea innuimus, *contractus innominatus*, qui exprimi solet hisce formulis quatuor. *Do ut des, facio ut facias, facio ut des, do ut facias.* Porrò citra omne vitium, quadruplex hoc pactum contrahi potest cum illis; si nimirum eorum in gratiam des pauperi stipem, ut tibi dent preces: si quid facias contra indolem, ac genium, ut tibi procurent valetudinem: si cures fieri Missam, ut tibi, vel alteri largiantur felicem negotii successum; si denique adducas illis preces, ut vel per se, vel per Angelos, ac Cælestes, patronos suos, ad dignitatem, aut gradum salutis tuæ congruum te promoveant. Atque eorum quidem fides hætenus ex subsidiis spiritualibus satis colligitur; nunc superest, ut per temporalia demonstretur: maximè cum mortales ad hæc præsertim aspirent.

783.  
Explicatur.

Ut ergo præteream decantatum illud *784.* Baldricus Episcopus in subsidium militum casorum canobium extruit. toties de Eusebio Sardinæ Duce, cui animæ ab eo liberatæ militarint: *Ut etiam hoc omittam de Cive Vallisoleto, vel alio quopiam, qui recitans de suo more Orationem Dominicam cum Salutatione Angelicâ inter transeundum cæmeterium, à piorum manuum cohorte, contra inimicos gladiis eum petentes, defensus est: Antiquum quidem est, quod subjicio, sed opinor plerisque novum, & multis non vulgare videbitur. Baldricus Leodiensium Præsul a nno salutis 1013. Ecclesiæ suæ*

suæ præsidio arcem Hugardæ molitus fuerat. Accendit ea res Lambertum Lovanii Comitem, & nequidquam deprecante Baldrico etiam ad arma: Trecentos Leodiensium cecidisse fama est præter vulneratos, captosque. Altum vulnus ea clades optimo Præsuli inflixit. Quamquam enim susceptum piè bellum pro injuria à grege sibi credito propulsandâ proponere sibi posse videretur, animo tamen obversabatur cruenta strages, & qui servandas susceperat animas, in exitium ne propulisset, verebatur. Suavis ei necessitudo cum Joanne quodam Episcopo Italo intercesserat, quem Episcopatu pulsus, Notgero commendaverat Otto III. Imperator. hic ubi sensit non tam jacturæ dolore, vel cladis pudore tangi Præsulem, quàm tot animarum sibi creditarum percelli periculo, æquum illum esse dolorem, Episcopoque dignum judicavit. Quare ut templum Deo, monasteriumque poneretur, author fuit, in quo venturis omnibus ætatibus incumberent Monachi in levandas tormentis miserabiles illas animas. Consilium accepit Episcopus, statimque occurrit perficiendum, quod inchoaverat Heraclius Episcopus, S. Laurentii Cœnobium. Dissuasit Joannes, ratus fortasse non futurum, qui alienis fundamentis superstrueret, ut revera evenit. Evicit ergo, ut novum moliretur Baldricus. Caput insulæ, quam nuper fecerat Notgerus ædificando delectum est. Hic S. Jacobo monasterium inchoavit Episcopus VII. Kalendas Maias anni millesimi decimi quarti. Et quia magnæ molis templum meditabatur, sua vota longius differri non tulit. Primum omnium S. Andreæ cryptam extruxit, diciturque VIII. idus Septembris, collocatis in eâ sacris ejusdem Apostoli reliquiis, quas S. Henricus Imperator donaverat, tum attribuit prædia, & in ædificationem magnis sumptibus deinde incubuit. En semen. Vide nunc fructum centuplum.

785.  
Ejus liberalitatis fructus.

Sanctam enim ejus munificentiam alia longè majore mox Deus compensavit. Arnoldus Lossensis Comes, cum mortem sentiret imminentem, illum advocavit, & postquam ejus opera sese ad deserendam Christianè vitam comparasset, solemni ritu omnem suam ditionem B. Martyri Lamberto donavit. Eodem tempore Lambertus Lovanii Comes illatarum in Ecclesiam injuriarum agitatus conscientiam, legationem ad Antistitem adornavit, petiit pacem, & in Ecclesiæ gratiam recipi soluto anathematis vinculo precatus est. Difficilem se minimè præbuit Baldricus pro innatâ clementiam, paceque concessâ Co-

mitem sacris Ecclesiæ restituit, & opimum prædium, nomine Horrentium ab illo donatum novello S. Jacobi cœnobio attribuit. Tradunt præterea Transmosanus, & Stabulanus Reginardum Francimontæ Marchionem cum profecturus in Syriam liberis careret, scripsisse hæredem S. Lambertum. Atque ita profanis etiam incrementis Ecclesiam suam vidit augeri Baldricus, quod in pios manes pius fuisset. P. Filen in floribus Eccles. Leodiensis.

Recentius, ac luculentius est, quod de 786.  
se refert Illustrissimus Christophorus de Roas, & Sandoval, Archiepiscopus Hispaniensis. Vacabat studiis in Academiâ Lovanienfi, & solitus erat pro suâ non vulgari pietate, animarum corpore solutarum usui stipendium in sacrificia largiri. Accidit porro, quod ex Hispaniâ litteræ tardiùs venirent, ut nummis deficientibus, consuetam illam stipem piis manibus impertiri non posset. Quæ res cum illum malè haberet, ad proximum templum se contulit, ut eam stipem prece pro defunctis sua compensaret.

Christophori Archiepiscopi pietas in defunctos.

Dum orat, ecce tibi juxta illum apparet 787.  
nobilis vir ocreatus. Is finitis precibus Christophorum adoratus, nomine patris ejus Marchionis à Denia, ac consanguineorum salutem, eosque valere renuntiat, quasi recens ex Hispaniâ adesset. Insuper in diversorium suum invitat, sublatiisque mensis, non paucos nummos aureos ei offert, imò jubet accipere. Enimverò se facile ex Marchione Patre in Hispaniâ recepturum, atque ita alter ab altero discedit. Vis nosse quis ille vir nobilis, adeò benevolus? ne ipse quidem Christophorus vel noverat, vel post reperit, vel intellexit nummos illos in Hispaniâ repetitos à domesticis fuisse. Quempiam piorum manium, vel genium ab iis missum, vel saltem eorum gratiâ venisse, ipse Christophorus ex eo sibi persuasit quod nummi illi præcisè usque eò sibi suffecerint dum ex Hispania novos reciperet, quodque sacro quodam horrore perfusus fuerit, dum eum primum sibi astantem animadvertit. Porro historiam illam autoritate Clementis VIII. in lucem edi ipse curavit. Nimirum ut tu, mi Lector, tales tabellarios eadem arte tibi procures.

Ejus merces.

Circa annum Domini 1581. floruit in ordine PP. Dominicanorum, Pater Alexander Capochius vir raræ virtutis. Hujus summum studium erat pios manes, sacrificio præsertim levandi, nec studii merces infrequens. Quondam cum sub vesperam in sylva errabundus, nesciret quò se verteret; fausto consilio officium defuncto-

788.  
Pietatis P. Capochii merces.

rum cum sodale cœpit in gratiam piorum manium recitare. Cùm ad ea Jobi verba ventum esset, *Responde mihi, quantas habeo iniquitates*, ecce illis apparet eques in speciem, sed re ipsa genius, vel anima, herbam quamdam edendam porrigens (nam graviter famebant) cujus porro esu miracè se corroboratos senserunt. Ille verò ex oculis evanuit, & quod admirabilissimum inter cetera, Alexander cum socio momento ipso ad iter quod quærebant, translato, paulo post ad cœnobium, quò divertere animus erat, pervenere. Bzovius.

789. *Ope defunctorum merces venduntur.* Suaferat B. Anna à S. Bartholomæo, cuidam mercatori (jam foro cedere cogitanti, quòd aliquas merces divendere non potuisset) ut aliquot Missas in solatium defunctorum Deo sponderet, hac lege, si intra spatium aliquod, quod desinebat, merces illæ, quas nemo appetebat, essent venditæ. Mirum dictu! intra paucas hebdomadas veniere omnes, nec ex iis quidquam superfuit. Vide ejus vitam.

790. *Ignis extinguitur.* In Paraquariâ, Indiæ regione, non longè à Brasilia sita, quædam primitivæ Ecclesiæ facies splendecit. Illic nostris excellentibus omne genus virtutis floret, atque inter cætera pietas in defunctos. Unus ex illius agri Dominici cultoribus gravissimus R. P. Christophorus de Mendoza, postea sanguine fidem professus, præterquam quòd per se ipse Missas, preces, voluntarias pœnas, denique omnia bona opera defunctis transcriperat; insuper orationem, quam vocant de S. Sudario, à se in Lusitanicum sermonem translata pueros in scholâ edoceri curavit, pariterque post recitatum Marianum sermone recitari, ut animas liberarent. Et vide istius pietatis præmium. Nam in Reductione del Caro, cùm flamma domunculam istius oppidi corripuisset, nec quidquam abesset, quin cæteras omnes (quippe stramineas, & ventis furentibus objectas) atque adeò totum oppidum incenderet, concepto novendialium Missarum voto in gratiam defunctorum, placuit divino Numini, ut venti statim ponerent, ignis extingueretur, & omne periculum incendii averteteretur. Vide litteras annuas è Paraquariâ anno à partu Virginis 1635.

791. *Filiolus sanatur.* Sed recentiora proferamus. Anno 1649. 6. Septembris ita scripsit ad R. P. Jacobum Monfordum, qui de misericordiâ fidelibus defunctis exhibendâ tractatum insignem edidit, Guilielmus Frießem, Typographus Colonienfis.

**R**EVERENDE IN CHRISTO PATER. Scribo ad Reverentiam vestram, quæ circa prodigiosam filioli mei, & uxoris

ris curationem contigere. Confuevi Dominicis ac festis nonnihil temporis insumere piis libris legendis, & paulo ante eorum invaletudinem, eum legeram, quem Reverentia vestra mihi tradidit typis subdendum. Tum verò ægotare cœpit filiulus meus quadriennis, & brevi ad extrema deductus est, malo utique remedia, quæcumque suggerere potuimus, vincente. Affirmabant cæteri qui aderant de illius vita actum esse, neque ullus, nisi de illo humando, sermo erat: Ego contra sensi me spe quadam ejus valetudinis, cælitus corroborari, & memor injectæ mihi paulò priùs cogitationis de voto nuncupando in gratiam fidelium defunctorum, summo mane templum adivi, summo animi nisu illud concepturus. Propositâ itaque animo Dei istic me intuentis præsentia ita vovi.

Domine Deus, si filiolo meo valetudo 792. *Voto concepto in gratiam defunctorum.* conducat ad salutem, & si tibi placitum fuerit in eam, qua prius fruebatur, illum restituere, tibi promitto, atque piis manibus, me exemplaria centum libri, cujus titulus, *Tractatus de misericordiâ fidelibus defunctis exhibendâ* variis Religiosis, atque Ecclesiasticis viris largiturum, ut ejus lectione complures ad opem illis ferendam excitentur. Scio, mi Deus, misericordiam tibi perquam acceptam esse, tibi, inquam, qui totus charitas es, cujus charitatis partus nobilissimus, misericordia. Ergo admitte, mi Domine, quod offero, & si ad salutem conducat, redde filio meo sanitatem.

Eo voto, aliisque precibus meis peractis cùm domum repeto, vires resumere filiulus, atque mutari in horas cœpit: adeò ut meridie aliquid esculenti admitteret, cùm tamen quatuor & decem dierum spatium vix quidquam gustasset. Postero die planè convalescere, edere, ambulare, denique in integram sanitatem restitui, ut meritò ambigam, an ratio illa curationis à miraculo absit. Tum verò voti reus illius vinculo me liberare; adire Collegium Societatis, exemplaria promissa tribuere, his decem, illis triginta, rogans, ut suis, exterisque singula distribuèrent ad ciendam in pluribus expetitam in pios manes pietatem.

Tres hebdomades fluxerant, cùm uxor 794. *Sanatur & uxor.* cubiculum ingressa derepente toto corpore tremorem cœpit persentiscere, ac debilitari, adeò ut in deliquium lapsa sit, quæ res gravioris morbi augurio erat: Et verò octo, aut decem abhinc diebus in illum incidit, atque intra quatuordecim dies eò redacta est, ut cùm nihil gustare posset, aut eloqui, aliaque mortis indicia adessent, nostri

## Patrocinium Defunctorum. *Lib. II.* 261

nostri omnes de ejus vita desperarent. Ego igitur iterum ad votum confugio, templum adeo, eodem loco votum nuncupo, non jam centum exemplaria si valetudo illi reddatur, sed bis centum largiendi, tum in grati animi pignus pro filioli valetudine, tum quòd filiolo uxor esset charior.

795.  
Modus u-  
rationis.

Tum domum redux, ac fiducia plenus, audio adstantes mihi gratulari de meliori ægrotæ habitu, & revera sensim sui compos, & linguæ fiebat, jamque sumere aliquid valebat, & luculenta spes valetudinis affulgebat, postero die omnino melius se habere cœpit, ac post paulò planè conva- luit. Non ægrè fidem mihi habeat R. V. obligationi voti haud me defuisse: Ergo ad Collegium Societatis repedo, ad Dominicanos me confero, libros dispertio. Porro testis mihi est Deus hæc ita se habe- re, quemadmodum, & illi quibus tum rem narra- vi. ita ipse.

796.  
Latiocini-  
um vita-  
ent.

Anno 1653. honestissima scemina, Anna Beuvet Insulensis, vidua D. Bernardi Grenu mercatoris, cum de more suo oblati- bus promissisque Deo in gratiam piorum ma- nium sacrificiis ad iter militibus infestum se- mansisset, & jam Insulis, ubi degit, Gan- davum incolumis, & extra periculum om- ne petiisset, demum, in reditu, non pro- cul Gandavo cum curru publico, quo ve- hebatur, in militesne, an prædones inci- dit. Illi currum adoriuntur, spoliantque simul cum vectoribus. Cum ad eam, ejus- que cognatam venit, tremula offert mi- liti nummum non grandem; non admitti- tur. Et jam nihil propius erat, quam ut cum cæteris nudaretur, cum mirum dictu! indemnus, & illæsa relinquitur, & iter per- agere finitur. Aliàs eodem anno dum Co- minis (urbs est Flandriæ) in curru egredi- tur, iterum incidit in milites. & nummulo oblato libera relinquitur. At illi dum cur- rum illum dimittunt, vident alium præ- tergredi. Cum nonnihil progressus esset, sequuntur, assequuntur, invadunt, nec prius quiescunt, quam omnes vectores, etiam viros, pecuniis, vestibus saltem ex- timis spoliarint. Aliàs numquam illi ma- tronæ quidquam sinistri in itinere, quod frequens fecit, contigit. Imò cum urbs Dunkerkana decies, & quinies centenas libras flandricas illi deberet, ipsaque ob- sidionis periculo commota, tot sacrificia piis manibus promississet, quot libras inde reciperet, omnem illam summam paulo antequam nuper à Gallis obsideretur, An- glis tradenda, à Magistratu Dunkerkano, nescio quo prodigio, recepit. Cujus dein- de pecuniæ beneficio missa sunt in singu- las Societatis Jesu Provincias ubi vis terra-

rum in Indiis, & ultra sitas, quinquagena folia defunctorum imaginibus, & episto- lis petitoriis impressa.

Anno 1656. Novesii, urbs est Germa- niæ, mulier quædam prolem periculotissi- mè laborantem dum luget, suadente uno de Societate Jesu tria sacrificia, si salutem recipiat, in defunctorum solatium spon- dit, & illicò voti rea facta est. Ibidem duo è nostris curru ad iter incenso precibus peregrinantium persolutis, insuper psal- mos Miserere, ac De profundis ad opem purgandarum animarum recitavere. nec frustra. Nam auriga curru nonnihil di- gressò, equoque sibi relicto, infantulum fortè subter lapsum rotæ pressit. Quod mulier eminens conspicata, vicinos clamo- re convocat, Patres cum equo, dum puer inspiciatur, attinentur: & mirum dictu! nullum in corpusculo rotæ supergressæ vestigium, aut vulneris nota apparet. At piorum manium beneficium nostri liquidò agnovere.

797.  
Puer sub-  
curru rota  
illæsus.

Eodem quoque anno Joannes Wiliel- mus Zagger Societatis Jesu discipulus, len- tà phtysi adeò exhaustus erat, ut medicus ne potiunculæ quidem digerendæ sat viri- um superesse judicaret. Quocirca con- discipuli ejus desiderio, ac miseratione vo- vere ad opem defunctorum Deo rosarium singuli, & aliquot sacrificia universi, si re- valesceret. Nec spes fefellit. Posterà enim luce vita in frigidis pæne artus redi- re cœpit, & ille paucis post diebus incolu- mis suos revisit. Atque hæc desumpta ex Provinciæ Rheni inferioris litteris annuis ejusdem anni.

798.  
Alius à  
phtysi libe-  
ratus.

Est qui jam dudum abdicavit, quæcum- que à se manare possent ad lytrum defun- ctorum utilia, ita tamen ut eorum distribu- tio in Mariæ esset potestate. Is cum quid- piam molitus esset non exigui, ut appare- bat, ponderis ad eorum solamen, ejusque felicem successum piissimæ illi piorum ma- nium Matri, ipsisque commendasset mira- tus est, indoluitque vehementer opus illud ex parte repudiatum, ac tenebris damna- tum esse. Cum ergo ædem sacram adiis- set de repullâ piè apud pietatis Matrem miraculis istic celebrem questurus, ecce ti- bi in ipso templi ingressu intus in animo commonefit, ut aures attrigat; auditque musicè illam cani, appellarique *Marem misericordiam*; atque exinde argumentum amplius sumit piæ apud illam querimoniam, cui cum filii affectu diutiùs insistit. Non paucis post mensibus nuncios audit de alte- ra operis parte pariter repudiata, & primo quoque tempore mœstus ad idem tem- plum regreditur tristissimum casum opti- mæ Divæ

798.  
Beneficium  
D. Virginis  
in gratiam  
defuncto-  
rum.

ma Diva narraturus. Et ecce rursus in primo templi ingressu non leviter intus commonetur, ut cantum audiat. Canebatur autem illud hymni paschalis, *Resurrexit, sicut dixit, alleluia*. Tumque quid hac denunciatione, cantuque portenderetur, parum intelligens, sed tamen nescio quam spei auctorem aspicere visus, pergit ad sacellum piissimæ Virginis, animumque illi variis affectibus tanquam conscissum expandit. Exinde nova fiducia erectus, at subinde metu tentatus, tamen faustum negotii successum, nequidquam occurrentibus difficultatibus expectavit. Ita Diva nobiscum ludit, at serium ac salutarem ludum. Etenim eâ, piisque manibus non solito modo faventibus, è tenebris, ac quadam morte exsurrexit opus, & patrocini-um Magnæ Mariæ, mutuumque piorum manium in patronos suos favorem posteritati testabitur.

799.  
Varia auxilia Insulis.

Hæc quoque recentia sunt grati animi piorum manium, & contractus, de quo egimus, non negligenda argumenta. Odoardus Ingiliardus Mercator Insulensis, vir optimus, & honestissimus mihi asseruit se ista in defunctos charitate, felicissimos sæpe in commerciis successus habuisse, nec ullius umquam in mari navis jacturam fecisse. Quidam ex hac Societatis Jesu provincia, qui se nominari non vult, multis nominibus obstrictum se piis manibus fateatur ob vitata in itineribus cõplura pericula, idque insuetis, & improvisis modis, & eadè est plurimorum confessio. quo fit, ut eadem pietas Insulis frequentissima sit, & faustorum eventuum feracissima.

800.  
Pietas D. Natalis Bridoul.

Dominus Natalis Bridoul honestissimus civis Insulensis, ac nobilis Cœnobii Marquetensis Quæstor, in pios manes semper optimè animatus fuit. Horum gratiã lubmotis mensis Psalmum De profundis ab uno è liberis pronunciari curabat, ad imitationem magni illius Angliæ Cancellarii, ac Martyris Thomæ Mori, de quo post sumus narraturi: Cùm milites nostros seu fælice, seu infælice prælio in acie cecidisse audiret, sacrificia illis non pauca vel per se, vel per alios procurabat. Iconem suis sumptibus in lucem edidit, variisque distribuit, qua icone anima flammis expiatri-ribus media commiserationem spectantibus cieret. Ipsum diem commemorationis defunctorum totum cum uxore, ac familia precibus eorum causâ fundendis vacabat, & pauperes velur subsidiarios, aut ad coronam Virgineam, aut ad Psalmos à penitentia dictos perlegendos stipendio collato sibi adjungebat. Mitto alia, & gratiam ab animabus ejus ope adjutis relationem commemoro.

801.  
Ejus merces, mors iterum vitata.

Noverat quidam villicus illi perinjussè, graviterque infensus D. Natalem negotiorum causâ certâ die Marquetam petiturum. Itaque ipsa die illum in viâ ab octavâ matutinâ ad vesperum usque cum bombardâ glandibus cæta prætolatus est, ut perimeret prætereuntem. sed instinctu divino monitus, aliâ viâ ivit ac rediit piorum patronus ille manium. Quare villicus in rabiem actus in villam quamdam vicinam illicò se dat, equos abripit, cum iis fugit, in itinere capitur, Gandavum ductus suspendio addicitur: jam jam deturbandus erat, cùm P. Minoritam infra sibi adstantem furtum vocat, consilium illud suum glandis in D. Bridoul, cùm præterisset, explodendâ fatetur, jubetque ad gratias Numini reddendas illi renunciari. Aliàs idem Mæcenas à duobus fratribus pessimè in eum affectis, in angustiis chlamyde apprehensus jam alterius gladio, alterius securi percipiendus erat: cùm canonici domo fortè egredientis conspectu illa sicariorum scena repente disparuit: ac D. Bridoul velut è faucibus mortis ereptus priusquam domum suam, quæ proximè aberat, subiret, ad gratias sospitatori Deo medullitus rependendas pro piorum manium, ut piè credidit, favore, in templum, unde venerat, se retulit.

802.  
Similia congeruntur.

Similia profert R. P. Roas de Purgatorio cap. 21. memorat enim eximium quemdam virum, & fide dignissimum asseverasse, se recitatâ quapiam in levamen defunctorum prece, noctu loca periculosa sine ullo metu pertransisse, & aliàs cùm torrentem à pluvia oppidò tumentem eques transmitteret, pronuntiatâ eadem oratione facillè & citra damnum ullum evasisse. Alium quemdam, qui quot diebus officium defunctorum recitare solitus esset, innumera discrimina cujusvis generis, non modò sine damno, sed etiam cum commodo ac lucro elusisse. Idem author seipsum fateatur innumeris discriminibus animi, ac corporis, in itineribus per arduos montes nive coopertos, per altissimas valles, per rapidos torrentes, per vastas solitudines confectis, ita semper piorum manium subsidio vindicatum, ut prius se liberatum, quam pericula incurrisse, advertisset. R. P. Salo I. de Purgatorio proficitur se imploratâ Numinis per pios manes misericordiã longè facillimè expetitis potitum esse. Alii idem sentiunt, & pronuntiant.

803.  
Epilogus hujus, & prioris articuli.

Ex quibus denique omnibus luce meridianâ clariùs elucet, charitate in pios manes, eorum patronos de salute tum animæ, & tum corporis, quatenus hæc ad illam conducit, multò effici securiores, atque adeo

hoc

hoc etiam nomine cordi nobis habendam, & omnibus aliis, qui utramque illam salutem non negligunt, singulariter commendandam esse. Quare vir sapientissimus Franciscus Picolomineus, Soc. Jesu Præpositus Generalis VIII. (ut memorat Joannes Nadasi in suis pretiosis occupationibus circa mortem,) Animabus quæ in Purgatorio patiuntur sese crebrò ardentèrque inter dolores, ac æternæ felicitatis desideria commendans, dixit, se omnia illa Sacra quæ ad intentionem Generalis fiunt quot hebdomadis, illis transcripsisse, nempe ut illæ apud Deum optimè omnia expedirent negotia, pro quibus illa sacrificia destinari possunt: quæ ars felici successu solet à deo coronari. Ita ipse. Et sanè, quæ Numinis est gratia, pietas ista, si aliàs unquam, nunc floret, vigetque; & eodem Numine Societatis Jesu, aliorumque, conatus fortunante, florebit, vigebitque in dies magis, magisque: atque ut speramus, eveniet, ut quemadmodum Providentia diuina rerum ac temporum fortis suavisque dispensatrix, varia sæcula variis, vel mysteriis fidei exponendis, vel Sanctorum honoribus instaurandis, vel pietatis generibus obviandis ac frequentandis attribuit; ita piis manibus, qui ferè hæcenus non minus procul à mortalium mente, ac cogitationibus, quàm extra mundum hunc in subterraneis locis jacuerunt, hoc & sequentia sæcula præcipua quadam pietate juvenandis assignasse, usu ipso, & frequenti eorum solatio comprobetur.

ARTICULUS IV.

*Quarta ejusdem in pios manes misericordie utilitas: solida spes lustrico carcere brevi evadendi.*

§. I.

*Statuitur, atque exponitur.*

804.  
Non pugnat hic articulus cum precedentibus.

**N**OBISCUM ipsi pugnare videmur, quando id genus utilitatis proponimus. Nam superius latè demonstravimus præclarissimum hujus in defunctos charitatis decus ex eo præsertim enasci, quòd tuas satisfactiones illis transcribere, reipsum illis nudare est, atque adeò tibi adimere, quo te flammis ac carcere Purgatorio eximas. Et ecce nunc unam è præcipuis

ejusdem charitatis utilitatibus hanc asserimus, quod illius beneficio, è pœnis illis brevi sis evasurus. fateor equidem esse hæc in speciem pugnantia; sed Lectorem hortor, ut tantisper judicium ac sententiam suspendat: spero enim effecturum me, ut cum Abrahamo contra spem in spem credat, hoc est, contrà quam mens horret, creditque futurum, si se lytro suarum satisfactionum spoliari, speret potiùs eo sibi negato, & defunctis donato, nomina sua, obligationemque ad sævos illos cruciatus, esse dissolvendam.

Porro id demonstro hoc syllogismo. 805.  
Ea res nos brevi eximet Purgatorio, quæ nobis obtinet lytrum illius carceris & præstabilius & copiosius; atqui transcriptio nostrarum satisfactionum in pios manes, id obtinet: Ergo ea transcriptio brevi nos eximet Purgatorio. De propositione nemo dubitet, nam lytro oblato, carcere ac pœnis Deus hominem liberet, necesse est: Assumptio igitur nobis est probanda, confirmandaque. Syllogismo res probatur.

Ut autem dilucidè probetur, ordine ac distinctione utèdum est; ac primùm ostendendum generatim plus valere ad satisfactionem pœnæ tibi debitæ si opus pium (exempli causâ jejunium, aut aliam corporis macerationem) præstes in gratiam defunctorum, quàm si tibi ipsi illius pii operis satisfactionem reserves. Id verò ut intelligas, attende, dum quid boni ex charitate cujuspiam facis, duo seorsim spectari posse: prius est ipsùm opus, posterius illius ad commodum proximi relatio: Exempli gratiâ, jeunas, aut oras pro piis manibus; en primùm habes jejunium, aut orationem, quæ utique per se sunt bona: Deinde jejunium aut orationem illam ad piorum manuum utilitatem refers, ita ut illis non modò impetrationis, sed & satisfactionis fructum, quem tibi reservare posses, totum dones defunctis. Observa deinde, posse te fructum satisfactionis ex jejunio tuo, aut alio quovis opere pio nascentem, ita defunctis totum addicere, ut tamen applicationis ejus, seu destinationis propriam satisfactionem tibi manere velis. Quemadmodum enim jejunium ejusque applicatio diversa sunt, ac diversam sortiuntur bonitatem, ita diversas habent satisfactiones, quas cum diversis integrum sit destinare, est in manu tuâ, & arbitrato, alteram defunctis, tibi alteram tribuere: id si facias ut faciunt qui simpliciter jejunant, orantque pro defunctis; si, inquam, solum fructum satisfactionis orationi tuæ ad mensum iisdem tribuas: aio te magis satisfacturum iustitiæ divinæ pro pœnis criminibus tuis 806.

tuis commensis, quàm si tibi eandem reserves; & causam reddo, quia prius demonstravimus majoris meriti esse transferre in illos satisfactionem, quàm sibi retinere, quòd prius illud sit præstantioris caritatis, quàm hoc posterius. Quod si ita est, conficitur esse ad satisfactionem magis idoneum, & efficacius, cum de communi Theologorum sententiâ meritum, ac satisfactio æquo fetè passu procedant.

307. *Objectio.* At enim dices, rectè quidem probas destinationem ipsam operis boni ad utilitatem defunctorum, cum sit actus puræ charitatis, plus valere ad satisfactionem, quàm valeat ejusdem operis destinatio ad commodum operantis, si hæc sola cum priore destinatione componatur; non verò ostendis destinationem illam pii operis ad utilitatem defunctorum, plus ad satisfactionem valere, quàm valeat simul ejusdem operis destinatio ad commodum operantis, simul ipsum opus, vel orationis, vel temperantiæ, cujus satisfactio ex charitate datur defunctis. Id autem necesse est, ut probes: propterea quòd, qui fructum satisfactionis ex jejunio manantem sibi reservat, non modò fruitur satisfactione amori concupiscentiæ admensâ, sed etiam eâ, quæ jejunio ipsi per se respondet. Qui autem satisfactionem orationi aut jejunio respondentem, animabus donat, solâ fruitur satisfactione actui charitatis illius respondente.

308. *Solvitur.* Fateor equidem ita rem se habere. Probo itaque quod exigit, idque eodem, quod minime expectas, argumento. Enimvero quemadmodum meritum solius actûs, quo refero jejunium ad piorum manium usum, nobilius est, quàm meritum tum illius actûs, quo satisfactionem ieiunii etiam ex charitate mihi reservo, tum etiam ipsius actûs ieiunii (cum actus puræ charitatis, sit ordinis ac gradus superioris, quàm ieiunium, unusque plurimos eiusmodi inferiores meritò exsuperet) ita satisfactio solius actûs, quo ieiunium illud ad bonum piorum manium dirigo, præstat utrique illi satisfactioni, quæ respondet tum ieiunio, tum eius ad commodum meum, propriamque satisfactionem relationi. manet ergo plus ad satisfactionem valere, si operis boni, ut ieiunii, aut orationis, satisfactionem defunctis dones, quàm si tibi reserves; & quod hinc consequens est, orare pro defunctis, in eorum gratiam macerare corpus, stipem erogare, & eiusmodi, quorum satisfactio ex opere operantis dumtaxat profluit, præstat ad evadendas brevi Purgatorii flammæ, quàm eadem ipsa perficere, ut eas evadas, citiusque beatus efficiare.

809. *Præter ad brevius purgatorium dare suas satisfactiones defunctis.* Declaratur idem paradoxum alia ratione. Nam authoribus Lugone, Dicastillo, & aliis, pretium satisfactionis crescit pro portione sanctimoniam, ita prorsus, ut sicut, cæteris paribus, eò plus meretur homo per opus pium, ac meritorium, quò sanctior est, ita magis satisfaciat. Nam, ut fert scitum Philosophorum, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.* Quare cum sanctitas, seu status gratiæ ad satisfactionem requiratur, quanto uberior illa fuerit, tantò cæteris paribus, satisfactio operis pii erit plenior: eò maximè, quòd vis satisfaciendi, sit vis quædam mendi, nempe pœnæ peccatis debita remissionem. Addit de Lugo hanc rationem tract. de pœnitent. disp. 24. n. 28. *Quia eadem pœna, inflicta viro nobiliori, aestimatur moraliter pœna gravior, quàm inflicta viro ignobili, unde pro eodem delicto minori pœnâ punitur Marcio, aut Dux, quàm alius inferioris nota nobilis; & hic minori, quàm plebeius, quia exilium Principis, gravior pœna est, quàm plebei verberatio. Ergo & castigatio carnis in homine sanctiori habente gratiam ut 100. aestimabitur gravior pœna, & gravior castigatio, quàm in alio iusto, habente gratiam ut quatuor; quia excellentior persona castigatur, atque adeò sufficit ad solvendum pro pluribus, & gravioribus peccatis: cum moraliter sit maior satisfactio.* Ita de Lugo. Cum igitur & meritum, & satisfactio crescat ex personæ operantis sanctimoniam & dignitate, & hanc maximè pariat castus amor Dei, ac proximi: consequens est eum, qui pro defunctis Deum precatur, corpus castigat, aliaque eiusmodi parat, cæteris paribus minus diu graviterque in Purgatorio puniendum. Etenim castigatio sanctioris ad annum, æquivalet castigationi minus sancti ad duos, sicut Principis carcer ad annum, carceri plebei ad duos; & præterea pœna Purgatorii magis dedecet sanctiorem, quàm minus sanctum, quia ille Deo carior ac propinquior, digniorque regiâ cœli, sicut pœna humana magis dedecet virum nobilem, quàm plebeium, atque adeò mitior in nobilem, quàm in plebeium pro paribus criminibus solet decerni; Adde sanctiorem brevius Purgatorium fortiri debere, vel ex eò, quòd breviori tempore pluribus gradibus gloriæ, ac visionis beatificæ privetur, adeoque æquali tempore gravius puniatur, quàm minus sanctus, cujus utique jactura illa est minor. Nec refert quod is, quem charitate in defunctos sanctiorem evasisse diximus, bonam partem suarum satisfactionum, quibus citius Purgatorio eximeretur, defunctis sit

## Patrocinium Defunctorum. Lib. II. 265

Etis sit largitus, qui apertum aliarum satisfactionum quas non dederit, nobilitas donatarum facile compensabit.

§ 2.

*Et si omnes satisfactiones defunctis addicat.*

810.  
Donatio  
omnis sa-  
tisfactionis  
à peccatis  
retinet.

CUM igitur satis demonstratum sit, plenius satisfieri orando, jejunando-ve pro defunctis, quam horum piorum operum satisfactionem sibi reservando, videndum nunc, an qui omnem satisfactionem, etiam illam, quam diximus applicationis, & amoris, eidem largiatur, detrimentum aliquod satisfactionum passurus sit; ita ut gravius & diutius in purgante rogo sit castigandus. Ac primum constat ex dictis non semel, & magni in hoc genere momenti est, donationem ejusmodi maximæ esse charitatis, atque adeo gratias actuales plurimas mereri, quibus homo corroboratus, minimum, ac rarissimè apud Deum offendat. Quomodo enim divina bonitas perquam munifica in eum non esset, qui Dei causâ omnia sua profudit, etiam felicitatem, visionemque beatificam, cujus privationi temporariæ, & insuper atrocissimo igni, se exponit? Certè valere nunc debet, si quando aliàs, illa Pauli promissio, *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* 2. Cor. 9. & illud Siracidæ c. 16. *Omnis misericordia faciet locum unicuique, secundum meritum operum suorum.* Quare rarissima illa misericordia Amatoris defunctorum profectò locum invenit in oculis, in medullis Dei: & hic pro meritis eam complectetur, id est, gratiis actualibus cumulabit; quandoquidem hæc nihil aliud sunt, quam divini illius Sponsi oscula, & amplexus. Sed nihil hoc in genere illustrius, atque potentius, hac ipsius veritatis autoritate. *Omnis, ait, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matt. 19. Quid enim domus materialis ad Regiam cœli? quid fratres, pater, mater, ad ipsius Dei possessionem? Sed quid centuplum illud promissum nisi cumulus gratiarum? Si ergo pro domo, pro domesticis Dei causâ relictis centuplum tale, quale centuplum pro Deo taliter Dei causâ relicto cum periculo intolerandi tormenti? Deinde ea ipsa charitas virtutes omnes, utpote earum Regina, ad opus, & officium continenter urgebit, adeo ut vix liceat menti ad vitium declinare. Præterea qui pius manes sic adamat, ut seipsum, sua-

que in ipsos prodigat, non potest non de illis creberrimè cogitare: nec igitur saluberrimam de morte, deque novissimis cogitationem deponet, & proinde experietur veritatem effati hujus divini, *Memorare novissimam tuam, & in æternum non peccabis.* Et verò novi ego aliquem ex ejusmodi Amatoribus, cui hæc memoria frequens, velut in mercedem misericordiæ impertita, mentem pulsât, retinetque, ne in noxas etiam leves labatur; quin potius ad cœlestia sese efferat, spretoque quiescens hujus mundi, Deum ac divina amplectatur. Itaque cum hoc primum præstet charitas omnem satisfactionem piis manibus devoveris, dubium esse nequit, quin purgantes flammæ hac insigni ratione vehementer contrahat, ac mitiget.

Sed cum humanum sit in quotidianas illas noxas prolabi, qua ratione earum pœnas eluet, qui omnem suam satisfactionem à se abdicat? Rectè satisfactionem suam dicis; aliena siquidem eaque multiplex suppetit. Imprimis quæ ex opere operato profluit, nempe à Sacramentis, non tam propria operantis est, quam operis ipsius, seu Sacramenti, vel potius omnino Christi: hanc verò alteri tradi non posse Suarius, & de Lugo, magna inter Theologos nomina, consentiunt, & nos iis superius assensum sumus. Porro magna copia præstantis satisfactionis ex Sacramento pœnitentiæ defunctorum Amatori veniet: nam charitas illa, quæ excellit, doloris de Dei offensa, & maximi, & frequentis tœcunda est; quare illum crebrò ad Sacramentalem confessionem adigit, serioque & accuratè præparat. Cum ergo Sacramenti fructus etiam ex opere operato proveniens, pro magnitudine apparatus crescat, satisfactio, quæ ex ipsa confessione promanat, uberrima sit, necesse est. Et illi tamen addenda illa quam progignit, legitima pœnæ à Sacerdote impositæ solutio: Et hæc enim operis operati naturam imitatur, & pro optione doloris, ad eam subeundam adhibiti, satisfactionis ferax est. Quare cum frequens sit Amatoris defunctorum confessio, & integra pœnæ solutio, quis non videt pauca illi nomina restare in Purgatorio dissolvenda, si vel hoc Sacramentum solum spectetur?

Accedit autem huic duplici ex opere operato satisfactioni, illa, quam Missæ sacrificium parit. Constat enim pœnam temporalem post culpæ condonationem relictam, virtute Missæ remitti, & Theologi id ex Tridentino comprobant cap. 2. sess. 22. Cum enim docuisset Deum hujus sacrificii virtute placatum peccata remitte-

811.  
Non incli-  
dit satisfac-  
tionem  
propriam  
confessionis.

812.  
Necne  
propriam  
sacrificio  
Missæ.

L

tere,

tere, opportunis auxiliis, seu gratiis actualibus submissis, postea simpliciter, & absque ulla limitatione subdit: *Pro fidelium vivorum peccatis, & penis, & satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apostolicam traditionem offertur*: hanc autem sacrificii vim ex opere operato, & infallibiliter exercent Suarez, Vasquez, Lugo, Dicastillo, & melioris notæ Theologi: illam verò veniam communicari tum Sacerdoti (qui quidem primariò sacrificium offert) tum fidelibus, qui ad illud aliquid contribuunt petendo, aut procurando illud, aut operam famularum Sacerdoti facienti commodando, aut assistendo, & consentiendo, atque una offerendo, tum iis, pro quibus offertur. Quin etiam fructum illum satisfactionis aliqui ad omnes fideles pertinere volunt, quatenus Ecclesiam constituunt, ac remotè sacrificium offerunt per Sacerdotem, sicut censetur corpus facere, quod facit illius membrum. Hinc porrò ampla quoque seges exoritur satisfactionis. Nemo enim est ex Amatoribus defunctorum, qui vel quotidie, vel, si non licet, festis ac Dominicis diebus, sacris non operetur aut intersit; nemo qui illud aliquando non procuret, aut aliquid ad illud conferat; nemo qui non illud, saltem quatenus pertinet ad Ecclesie corpus Deo offerat, quotiescumque sit ubi vis terrarum. Et cum charitas hoc præfertim tam amabili mysterio pascatur, atque inflammetur, necesse est fructum illum satisfactionis, qui ad Amatorem defunctorum, omnem suam satisfactionem liberam illis tribuere solitum, ex opere operato attinet, non esse mediocre. Quare manifestò consequitur, si quid humanitus illi excidat, absolutionis sacramentalis, & sacrificii virtute ferè deleri.

813.  
Neque satisfactio-  
nem precum alienarum.

Verùm cum alia Numinis, alia mortalium sint iudicia, & noxæ profectò parum cogitantibus quippe in motibus irrepant, & delicta in dies sine sensu multiplicentur, restat adhuc fons copiosissimus satisfactionis precibus alienis, aliisque bonis operibus tibi addictis contentus: Etenim horum satisfactionem cum aliis communicari non posse censet eminent. Cardinalis de Lugo, quòd eorum dominus non sis. Ut enim ipse. *Itæni applicatur satisfactio aliena, habet se merè passivè, causa autem passiva non concurrat liberè, sed necessariò, ergo cum solus offerens sit adæquata causa activa, ab ipsius libertate pendet effectus, & non à libertate eius pro quo offertur. Confirmatur, quia si ego oro pro alio, non potest ipse per dissentium impedire impetrationem*

*mea orationis per se loquendo, licet fortè possit per accidens, reddendo se indignum: ergo similiter non potest impedire fructum mei ieiunii, quo intendo placare Deum pro illo; videtur enim eadem esse ratio.* Sic ipse de pœnit. dif. 26, sect. 2, perquam probabiliter. Atqui si religiosus sis, quot pro te ab aliis preces, quot sacrificiorum millia nunc fiunt? Sin autem mundum habitas, quot pauperes, quot alii, quibus benefeceris, tibi benè volunt, ac precantur. Parentes filiis, filii parentibus, consanguinei consanguineis, amici amicis, vivis, ac defunctis patrocinantur, atque adeò magnus satisfactionum cumulus inde existit, ac tibi remanet, etsi omnem illam, quæ in manu tua est, transcribere defunctis, fixum ac ratum sit. Quod si contrariam sententiam sequi placet, propterea quòd ille, qui mihi satisfactionem suam applicat, omne suum in eam jus mihi concedat, velitque ut eo jure pro arbitrato meo utar, vel retinendo mihi, vel illud in alterum transferendo, negari nequit, quin & probabiliter philosophis; sed & hoc exploratum, plurimum tibi nihilominus adhuc reliquum esse.

Etenim multò omnium affluentissima scaturigo satisfactionum est Indulgentia Pontificia vivis destinata. Quoties enim plena, quoties plurimorum annorum, quoties potissimæ partis peccatorum indulgentia, veniaque in promptu est? En salutationis Angelicæ recitationi ad horæ sonitum, venia mille annorum. Præterea quilibet homo Religiosus vel è medicantibus, vel ex iis qui eorum privilegiis gaudent, quotidie plenam indulgentiam obtinere potest, si quotidie sextò orationem Dominicam, & salutationem Anglicam pronuntiet, ac singulis pronuntiationibus subjungat singula Gloria Patri &c. Mitto alias plurimas, ac plenas. Profectò non arbitror hominem pium, ac suæ salutis amantem singulis horis tantopere apud Deum offendere, ut in singulas mille annorum expiationi obnoxius sit. Sed fac esse, habet quo reliquum pœnæ, istis facillimis precibus diluat. Nam quid ego hîc loquar de indulgentiâ multiplici numismatis aut templis affixâ, quam toties obtinere licet? Atqui Amator defunctorum eam longè facillimè parare sibi poterit. Cum enim ad veniæ illius consecutionem præscribi soleat opus ejusmodi quòd ad Deum placandum opportunum sit, consequitur eum qui plus amoris divini ad illud perficiendum adhibeat, Pontificis veniam faciliùs pleniusque consequi. Enimverò opus illius ad iram Dei mitigandam aptius est, quia charitate divinâ animatum, qua nullum potentius

814.  
Nec indulgentiam pro vivis.

potentius contra Dei iracundiam telum fingi potest. Cùm enim opus illud requiratur frequenter, ut si causa ad largiendam indulgentiam tantam non sufficiat, ejus defectus opere suppleatur, quod opus ad eum finem efficacius, quàm opus filii carissimi omnia sua Dei causa, fratrum suorum ei quoque carissimorum liberationi instrumentis? Denique si ad indulgentiæ plenæ consecutionem necesse sit exui affectum omnem peccati, etiam levissimi; propterea quòd quamdiu peccatum manet, pœnâ dignum est, quid facilius abdicabit à se pravam omnem cupiditatem, quàm qui Numinis, & animarum gratiâ igne Purgatorio attere paratus est, ut idem Numen sincerissimè, & intimè ab illis ametur, ac dilaudetur? Cùm igitur Amator ille, & frequenti confessione, & sacrificii virtute, & alienis precibus, & indulgentiæ crebræ consecutione culparum levium pœnas persolverit, quid illi luendum in purgatorio restare potest? certè vel minimum, vel saltem minus, quàm si sibi satisfactionem suam servasset; nam eo pacto charitate illa tam nobili atque efficaci destitutus nozarum sordes contraxisset, quas satisfactionibus suis, jejniis, ac minutis minimè diluisset: Contra verò charitas, quam prædicamus, in omnia ejus opera velut influens, eaque digniora, tum amore, tum misericordiâ divinâ reddens, unâ forsan confessione Sacramentali multò plus pœnarum extinguet; quàm eâ destitutus pluribus & confessionibus, & aliis piis operibus lenire valeat. Quid igitur eadem efficiet multis & confessionibus, & sacrificiis, & indulgentiis, & cæteris ejusmodi, quibus vim quandam præcipuam ad remissionem nozarum adjungit?

815. Et tamen alia sunt, haud scio, an inferiora, quæ Amatoris defunctorum spem libertatis vel levamenti non vulgaris acuerre possunt. Imprimis, cùm disputeretur à Theologis, an indulgentia defunctis destinata certò iis proffit, quibus destinata est, & usus Ecclesiæ multas plenarias eidem animæ addicentis, negativæ parti favere videatur, prope certum est, Deum multò promptius admittere eas, quæ Amatoribus defunctorum applicantur, quàm quæ aliis eos negligentibus. Atque ita sentit Layman l. 5. tr. 7. c. 8. post Henriquez, Rodriguez & alios. Deinde cùm nonnumquam idem iustissimus Judex, preces mortalium pro piis manibus fusas, aliaque ejusmodi suffragia non iis, quibus addicuntur, sed alii transcribi velit, ut patet ex historiis; satis perspectum est, id pœnæ in Amatorem defunctorum non cadere; quia

alioqui non esset ratum Christi effatum: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Præterea cùm ex insinuationibus S. Gertrudis l. 5. c. 19. item ex aliis, habeamus quasdam animas propter turpitudinem, numerumque ingentem flagitiorum, non frui communibus Ecclesiæ suffragiis, donec aliquamdiu igne illo arserint; ex adverso compertum est Amatorem defunctorum communibus illis subsidiis maximè inter omnes adjuvari, utpote de Ecclesia patiente ac triumphante optimè meritum. Insuper cùm plurimæ preces, aliaque suffragia defunctis subinde, vel indistinctè addicantur, vel iis nominatim, quibus Deo, aut Deiparæ, aut Angelo nostro Custodi visum fuerit addicenda; quibus potiùs illa venient, quàm defunctorum Amatori, qui, si ita loqui fas est, jus quoddam in illa habet, quippe quod sit dignior bonis publicis, qui rem publicam magis auxit? Denique cùm plurima suffragia potentibus, vel divitibus attribuuntur, vel certè aliis, quos crimina ad orcum detrusere, eodem jure bona illa, velut derelicta, potissimè ad Amatorem defunctorum pertinebunt.

Jam cùm idem Deus eâ gratiâ impertiatur divos, ac divas adhuc mortales, ut aliquos è Purgatorio faciliè eximant, uti de S. Christina, Liduina, Lutgarde, aliisque, satis constat, Amatorem defunctorum ea libertate faciliùs ac plenius donatum iri perspectum est. Quam spem exsuscitare potest quod subjicio. *Apparuerat anima quadam D. Gertrudi, singulis in membris, quibus peccaverat, incredibili dolore cruciata: ista verò (inquit Historicus) dum negotiis amoris instans, dulcissimo suo Amatori blandiretur, inter cætera, dixit ad eum; Eia Domine mi, vellesne causâ mei, animæ illi misereri? Cui Dominus tamquam blandiendo dixit, non solum animæ illi, sed etiam mille millibus animabus volo amore tui misereri. Et adiecit Dominus, Quomodo vis, ut impendam illi misericordiam? an vis, ut omnem culpam dimittens ab omni tormento eam liberem? ad quod ista: Forte non expedit iustitiæ tuæ, & Dominus, bene expediret, si tantummodo cum fiducia hoc à me peteres.* Ita in iisdem Insinuationibus l. 5. c. 19. Cùm ergo unicæ Gertrudis gratiâ mille millia animarum Deus liberare paratus esset, nec tempus ullum fluat, quin aliqui mortales Sancti, & Deum unicè amantes pro piis manibus orando, corpus macerando, animum vincendo cælum fatigent; an non maxima spes Amatori defunctorum affulget, vel pœnas evadendi prorùs, vel ocyssimè ex

816.  
Magis ad  
Sanctis  
iuvatur.

Purgatorio exeundi; quandoquidem ipse plurimis periculo suo manum auxiliatricem ad emigrandum portexerit? Si Deus subinde piis manibus hanc gratiam faciat, ut sensibilem in modum sese Sanctorum precibus commendent, si teste Joanne à S. Marià in vitis Sanctimonialium S. Dominici, Beatam Magdalenam Angelicam levandi animas lustrandas studiosissimam, & juvandi perquam efficacem, ipsæ animæ sequerentur velut pulli gallinam, & ex ejus ore preces certatim quasi raperent; an non existimabimus id genus gratiæ Amatori piorum manium multò quàm aliis propensius conferendum?

817.  
Maximè  
colitibus.

Quod si verò à mortalibus Divis tantum subsidii sperare licet, quantum licebit ab immortalibus? nempe tantò amplius, quanto gratià apud Deum hi amplius valent. Itaque multi ex iis etiam tum, cùm proximè è vità excessissent, non modicam piorum manium multitudinem secum evexere. Quo in genere præter Joannem illum Nivellensem, Canonicum Regularem, & R. P. Antonium Danielem Soc. Jesu de quibus in trac. de V. S. N. 999. spectabilis exempli Beata Liduina Hollandiæ decus, cui cùm septemdecim annorum spatio variis & horrendis morbis exercita fuisset, Angelus à Deo nuntius optionem dedit, vel in cælum illico migrandi, vel alterum tantum temporis pares cruciatus suscipiendi, ea mercede, ut plurimos è purgandis manibus vel levaret, vel liberaret. Cui illa plusquam femineo, plusquam virili animo respondit, sese etiam usque ad extremum judicii diem morbos suos tolerare vel eâ causa paratam esse. Tum Angelus Dei nomine illi confirmavit in gratiam tam generosi piiq̄que decreti eo ipso momento eorum, qui familiariter eam novissent, animas omnes, itemq̄que illius parentum ad usque nonam generationem è lustrali ergastulo liberas demigrasse. Et quod ad propositum nostrum propriè pertinet, addidit post exactos in morborum cruciatibus alteros septemdecim annos, fore ut ipsa Purgatorium velut triumphans subiret, & quoscumque luberet, inde secum in cælum educeret. Sanctum etiam Franciscum Seraphicum accepimus eo ipso temporis puncto, quo vitam hanc mortalem exiit, instar splendidissimæ stellæ, candidæ nubi insidentis rectà cælum petiisse, cum numerosa suorum, qui è Purgatorio carcere ipsius meritis emergebant, manu, ut ejus triumphalem ingressum decorarent. Parenti subjungo Petrum Stella quippe ex ordine eiusdem S. Francisci virum egregium, cuius etiam vis, ac munificentia in pios

manes, à morte se prodidit. Nam F. Alphonsus de Portugallia ex eodem ordine Seraphico, post quinque ab obitu suo dies spectandum cuiquam se præbens, retulit, se quidem propter suum servandæ virginitatis studium, ac lacrymas piè fusas, de salute securum esse, attamen adhuc uri lustricâ flammâ ob immoderatam bilem suam, contentumq̄que aliorum. Cæterùm F. Stellam iaculi instar celerrimè per Purgatorium transiisse ob accuratam legum Religiosarum observationem. Cùm autem primum cælo donatus esset, auditam in Purgatorio vocem istam; *Adeste animis fratres Minores, in gratiam religiosi illius fratris vestri recens celesti gloriâ iam portiti, tertia pars cruciatuum alioqui subeundorum, ex misericordia divinâ vobis condonatur.* Quis verò dubitet, quin beneficium hoc in Religiosos illos sit amplissimum, cùm infinitus, ut sic loquar, sit eorum numerus, atque adeò permultos in Purgatorio tunc iacuisse necesse sit. Sed maius ut opinor hoc quod subiicio censebitur. Frater Henricus de Calstris Dominicanus ex illustri Calstrensi familia, Deiparæ vixit perquam addictus, ac familiaris. Cùm graviter eo morbo laboraret, quo demum extinctus est, rogatus num citra Purgatorium liber evoluturus esset in cælum, ingenuè respondit, utique ex oraculo divino hunc in modum. *Beatissima Virgo Maria in exitu meo animam meam suscipiet, & plusquam trecentas animas mecum de Purgatorio abducat.* Quid? quod Alberti Magni, eiusdem ordinis magniluminis in obitu, sex animarum millia expiaticibus flammis eius gratiâ ac beneficio liberarum unâ cum ipso cæli regiam petivere. Ex quibus colligas, quid postea vel ipse, vel etiam nobiliores Divi sint precibus suis effecturi, cùm ad eorum ingressum in cælum comitatu honestandum tantum in gratiam animarum Deus effecerit.

818.  
Recapitulatione dictorum hoc §

Mitto de Angelis, deq̄ue manibus post cælo receptis dicere. Certum enim, & plusquam certum est, eos suâ alienaque gratiâ apud Deum conniti, ut Amatores defunctorum liberentur, ac tandem sic argumentor. Qui satisfactionem suam vel omnem defunctis adscribit, is ut plurimum satisfactionem minus nobilem, atque adeò minus efficacem iis adscribit, quàm à sanctis postea recipiat: Deinde multa illi aliunde satisfactionum copia suppetit, omninò maior quàm à se abdicarit, & simillimum vero est, eius illum inter primos esse participem. Præterea ex Sacramento penitentia, pœnæque à Sacerdote imposita fructum nanciscitur satisfactionis frequentem,

frequentem, & uberem, pariterque ex aliorum pro ipso suffragiis, & precibus: Adhæc indulgentia, veniaque Pontificia maximè abundat, ergo suam satisfactionem omnem defunctis tribuere, est viam in cælum sibi expeditissimam inire. Ergo eâ donatione, qua tuas omnes satisfactiones illis adscribis nihil sapientius, nihil quæstuosius, nihil ad liberationem nostrarum animarum è Purgatorio compendiosius.

§. 3.

*Exempla piorum omnes satisfactiones defunctis largientium.*

819. *S. Christina.* QUAMOBREM & hoc tempore, & jam diu antehac id industriæ, charitatisque in defunctos in usu fuit. Nam nemo dubitare potest, quin Christina illa mirabilis illud usurpaverit, dum cælo delapsa, & vitæ reddita, in omne genus tormentorum sese pro illis dedit, eâ dumtaxat causâ, ut novis semper prodigiis divinitus sustentata, vitam immortalẽ animabus fidelium impertiret: Atqui illa jam à quadringentis annis fato concessit, nempe anno salutis 1225. Christina subjungo Gertrudem illam Germanam, non Belgicam (eam, inquam, quicum Christus tam familiariter versatus est) quippe quod velcum Christina floruerit, vel sub ejus tempus. Etenim Possævino nostro teste in apparatu suo Anno à Christi ortu 1251. Abbatissa est creata.

820. *S. Gertrudis.* Porrò de Virgine illa sic memorat author divinæ illius Insinuationis. Alia die cum ista Gertrudis recoleret, quod omnino merito suo, quod lucrari posset per Dei misericordiam in exercitatione bonorum operum, se omnino abdicasset in meritum defunctæ, moribunda dixit ad Dominum, Spero Domine quod amans misericordia tua frequentius me respiciet nudam & egenam. Ad quod Dominus, Quid illi, qui sic charitate nudatus est, facere possum, quàm ut proprio vellere illum tegens, cum ipso instantius operer, ut eò celerius reciperet erogata per charitatem? Tunc ista, Quantumcumque, inquit, mecum opereris, tamen oportet me nudam ad te pervenire, quia tam adipiscendis, quàm adeptis, abrenunciavi. Ad quod Dominus. Cum mater vestitas filias secus pedes suos finit sedere, nudum puerulum in gremio vestibus propriis fovens circumplectitur ulnis, & adjunxit; & quid tu tunc minus habes sedens ad abyssum maris, quàm alii, qui sedent ad exitus rivulorum? verbi gratiâ ad

exitus rivulorum sedent propriis operibus, aequaliter inhaerentes, sed qui ex charitate, & humilitate omnia sibi annihilat, habet Deum, qui totius beatitudinis est abyssus. Ita Christus. nos autem ex eo divino congressu habemus primùm Gertrudem omnia sua merita, id est, satisfactiones (sic enim hodieque loquimur) sanctimoniali vitâ functæ addixisse. Deinde cum ejusmodi charitatis authore Christum instantius operari, ut eò celerius erogatas satisfactiones recuperet, nempe vi gratiarum actualium, quas talis charitas à Christo postulat, itemque propter dignitatem, seu sanctitatem tali charitate partam, & ampliori dignam satisfactione. Præterea si omnes omnino satisfactiones defunctis transcripserit, ad eò ut velut iis nudus Christo judici aliquando sistatur, Christum sibi faventem habere, ejusque vestibus id est satisfactionibus circumcingi, & ex abyssu meritorum ejus bibere abundè, eo quem exposuimus modo, quando qui sibi satisfactiones suas reservat, velut ad rivulum sedet, à quo utique nequit satiari.

Cæterum Liduinam Gertrudi adjungimus annis prope ducentis secutam: nam vivere desit anno salutis 1433. Hæc enim etiam omnes antehac partas satisfactiones, parenti primùm mortuæ concessit, ut nihil de aliis defunctis dicam, quorum solatio per septemdecim annorum spatium morborum suorum satisfactiones omnes devovit.

821. *S. Liduina.* Sancta quoque Theresia nobile specimen hujusce charitatis dedit. Nam cognito Patrem quemdam Religiosum, qui provinciam aliquot annis rexerat, vitâ functum esse, non mediocri curâ ac sollicitudine afflictata fuit; maximè quòd hujusmodi provinciarum, ac dignitates, periculorum animi exortes esse non soleant. Cæterum in privatum oratorum sese abdens, pro illius animæ salute Deo medullitus obtulit, quidquid hæcenus boni toto vitæ curriculo patrarat, & statim animam illam humo se tollere, & ad astra se extollere animadvertit.

822. *S. Theresia.* De Joanne Ximenio Soc. Jesu laico rarè admodum virtutis viro ita scribit noster *Ximenius.* Joannes Rho l. 1. exemp. c. 4. Mediocre in juvandis piis manibus sollicitudinem Virgini minimè satisfacere intellexit Joannes Ximenius eadem interprete. Oran- tem enim ante suam imaginem, ac vehementius concepto æstuantem amore sic affatam Deiparam ferunt. Ximeni, cave ne animas in Purgatorio igne laborantes, oblivioni tradas, cui Joannes, Faciam quod jubes, ergo cum ante illam diem singulis hebdo-

7 hebdomadibus, ut illis melius esset, divi-  
 8 nam percipere Eucharistiam in more ha-  
 9 buisset, exinde omnes animi corporisque  
 10 exercitationes illorum usibus transcripsit,  
 11 sua ditissimus paupertate. in vita P. Baltaz.  
 12 Alvar.

824. De Hernando autem Monroio ejusdem  
 Pater Sacerdote insigni, ita idem re-  
 Monroy. fert. Est aliquid etiam ultra hujus morta-  
 13 litatis spatia. quo charitas hæc possit perti-  
 14 nere. Quamquam enim cum hinc abierim-  
 15 mus, nihil juris in res nostras nobis reli-  
 16 quum sit, & libertatem omnem, quæcum-  
 17 que hominem fors exceperit, penitus  
 18 amoliat, attamen præcipere posse nos, &  
 19 aliquid supra vulgares conatus cogitare  
 20 docuit Hernandus. Hic enim secum re-  
 21 putans, post fata non sibi amplius integrum  
 22 fore in egentissimos opis humanæ animos  
 23 opportuna conferre beneficia, novo ausu,  
 24 pioque ingenio, legi fraudem facere cona-  
 25 tus est. nam quidquid sibi vitæ functo sive  
 26 in precibus, sive in sacrificiis, sive in quo-  
 27 cumque genere piamentorum obventu-  
 28 rum erat, proprio chirographo in pœna-  
 29 rum socios eorum nominibus solvendis, ut  
 30 iis bene esset, sui planè incurius, totum ex  
 31 asse transtulit, invenitque homo acutè pius,  
 32 quo steriles meritorum flammæ sibi face-  
 33 ceret esse frugiferas: nulla tam cariola tel-  
 34 lus est, quæ optimus charitati fundus esse  
 35 non possit. Denique illustri religione San-  
 36 ctimonialis Theresianæ, Maria de Incarn-  
 37 atione, & Euphrasia de Jesu ex cœnobio  
 38 Abulensi Anno 1571. omnem satisfactio-  
 39 num suarum fructum in pios manes tran-  
 40 stulerant. Et nunc plurimorum hic sanctus  
 41 mos invaluit quahibet in regione, ac reli-  
 42 gione, ut idem beneficium magnâ suâ vo-  
 43 luntate in eosdem conferant, ut etiam ex  
 44 dicendis erit luculentius. Quare & hor-  
 45 rum Lectorem isti beato numero accen-  
 46 tendum confido. P. Nyeremb.

## APPENDIX.

825. QUÆMADMODUM principio hujus Arti-  
 Generosi- culi timuimus, ut fidem faceremus  
 tas hujus propositæ spei, expiatrix pœnas brevio-  
 donationis res, vel nullas omninò ab iis toleratum iri,  
 stat cum qui satisfactionem omnem defunctis addi-  
 spe prædi- xerint: ita nunc non minus metuendum,  
 cta. ne caritatis illius generositati, quam tanto-  
 47 pere prædicavimus, hæc ipsa spes non mo-  
 48 dicè detrahat; nam dicit aliquis: Tota vis,  
 49 ac decus illius largitionis inde petitur, quòd  
 50 hominem exponat discrimini atrociora  
 51 morte supplicia animarum causâ subeundi:  
 52 jam verò contendimus ac probamus tan-

tum abesse ut periculum illud subsit, ut  
 etiam ex ea largitione spes adlucescat ma-  
 jor pœnas illas evitandi, quàm si totum  
 actionum tuarum lytrum tibi reserves.  
 Sed respondeo dubitationi cum distinctio-  
 ne. Velenim munificus ille Amator totum  
 tribuit ex casto Numinis atque animarum  
 amore, quod posuimus, dum caritatem il-  
 lam laudaremus, & eo pacto res nostra  
 planè salva est. Amor enim ille non proponit  
 sibi, non spectat, ac multò minus aucupa-  
 tur illam liberationem: sed contra promp-  
 tum se, ac paratum offert ad tormenta, so-  
 loque Dei ducitur respectu: atque adeò  
 nihil est, cur eius laus deteri dicatur. Sicut  
 etsi certum sit plus mercedis reddendum  
 cuivis alteri divini amoris actui, quàm actui  
 cupiditatis cælestium gaudiorum, nihil inde  
 decedit nobilitati illius amoris, scilicet quia  
 solo Deo contentus, illud mercedis non  
 quærit. Vel agitur de illo, qui omnem sa-  
 tisfactionem defunctis impertit, ejus, quam  
 hic exposuimus utilitatis spe ac respectu: &  
 aio donationem illam non parum quidem  
 cedere priori: esse tamen, cur purgantis  
 carceris evasionem mereatur. Etenim spo-  
 liatio illa propriæ mihi satisfactionis adeò  
 necessariæ ad vitandos ingentes cruciatus,  
 à quibus ne Sancti quidem homines liberi  
 sunt, per se ipsa difficilis est, & cum præ-  
 sens sit, magis animum afficit, ac cruciat,  
 quàm leves spes futuræ, & aliunde acqui-  
 rendæ satisfactionis. Spes enim timorem  
 eventus sinistri semper admixtum habet, &  
 suavitati, quam generat, inimicum. Præ-  
 fertim si spes supra naturam posita esse de-  
 beat, ut ferè hæc, quam proposuimus.  
 Adde quod merces, quæ naturæ limites ex-  
 cedit, naturam vix feriat, ac proinde na-  
 turalem tantorum tormentorum horro-  
 rem, qui positâ eorum fide pectus complet,  
 parum sublevet, atque adeò largitionis, de  
 qua sermo est, difficultatem parum minuat.  
 Certè nec Abrahamicæ obedientiæ sacrifi-  
 cando Isaaco difficultati, ac gloriæ, ob fi-  
 dem, ac spem suscitationis ejus, si gladio  
 cecidisset, quidquam deceffit; nec eleemo-  
 synæ ob promissionem, ac spem supernatu-  
 ralis mercedis, meritum, ac laus deteritur.  
 Denique experientiam Lectoris appello:  
 nōne etiam auditis, lectisvè, quæ hinc protu-  
 limus, adhuc fluctuare se sentit, vel ob tran-  
 scriptum defunctis, vel ob consilium tran-  
 scribendi lytrum omne suarum satisfactio-  
 num? Maneat igitur & certam esse spem  
 vitandi carceris expiatorii, si vitâ functis  
 omnem tuam satisfactionem addicas, &  
 largitionis illius summam esse generosita-  
 tem.

PATRO-